

20.355

Marxes a la 6 y media, y a la 3.

Manuscript of the
Museum of the
University of
Cambridge

SACRA

DIVI THOMÆ DOCTORIS ANGELICI

THEOLOGIA

IUCUNDIS RESOLUTIONIBUS

SCHOLASTICO = DOGMATICO = EXPOSITIVO = MORALIBUS

EXORNATA

QUAM PUBLICO EXPONIT CERTAMINI

DEO AUSPICE,

FAVENTE DEIPARA, ATQUE DOCTORE ANGELICO.

Fr. ANTONINUS GALVER,
Sacri Ordinis Prædicatorum in Orcelitano
Patriarchali Collegio Collega formalis.

PATROCINANTE

R. P. Fr. FRANCISCO FRAYLE IN UNIVRESITATE
Orcelitana Philosophiæ Magistro, Sac. Theologiæ Doctore, Vespertine
Cathedræ Moderat. Atque Cenfore.

CIRCUMPARABIT

FLORENTISSIMA ORCELITANORUM ACADEMIA.

Die III. Mensis Junii anni M. DCC. LX.



ORIOLÆ: In officina Josephi Vincentii Alagarda, & Eysarch, P. C. T.

STANLEY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

5712 S. UNIVERSITY AVE.

CHICAGO, ILL. 60637

TEL: 773-936-3700

FAX: 773-936-3701

WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU

PHYSICS DEPARTMENT

5712 S. UNIVERSITY AVE.

CHICAGO, ILL. 60637

TEL: 773-936-3700

FAX: 773-936-3701

WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU

PHYSICS DEPARTMENT

5712 S. UNIVERSITY AVE.

CHICAGO, ILL. 60637

TEL: 773-936-3700

FAX: 773-936-3701

WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU



Atkinson & Co. London




Alagarda sculp. Oriol. 1760.

PERILUSTRI DOMINAE

D. MARIAE THERESIAE

ALBURQUERQUE, ET ENRIQUEZ,

ET NAVARRA &c. &c.



HANC Sacram Divi Thomæ
Doct̃oris Angelici Theolo-
giam, titulis absolutã, licet
non ut par erat, numeris,
verbis, & reflexionibus exa-
ratam; quam, ut Maiorum
meorum sententiam subeam, munus solvam,
honorique satisfaciam, imbecillitas mea die
tertia Junij decurrentis anni propugnandam
suscipiet: Ad tuæ dignationis Aram devinc-
tus animus defert; & in perenne gratitudinis
monumentum, & ut incolume assequatur
Patrocinium. Sed forsitan (Inclita Domina)
mirabitur quispiam, quod cum ortu Valen-
tinorum Regnum agnoscam ut Matrem, Re-
ligione Prædicatorum Aragoniæ Provintiam
ut Parentem: Te unam ex Betica elegerim

PRO.


Protectricē. Sed mirabitur inscius; quod tua,
tuorumque Fama metas dignoscit; Guzma-
norūque gratitudo terminos subterfugit. Mi-
rabitur inscius, Quæ, & quāta Nostrates Ilor-
citani Cenobij debeant tuis, Qualiaque illi
retulerint nobis: Quæ, licet sit prope impos-
sibile, in planum exponi, possibile fit nobis, in-
genue cōfiteri. Merito Igitur Ilorcitani nostri
ut Protectricē suā preclarissimā Alburquer-
quium confitentur stirpem, Nosque cum
ipsis Benefactorem tantam veneramur Pro-
geniem; Quæ in terris degens, tot erga nos
Charitatis, Pietatis, Liberalitatis, Familiari-
tatis, & Benevolentia signis non faucia, vita
functa, nostrorum miratur, & socia: Ut quos
Charitas in vita effecerat unum, post mortē
continuetur Xerolophum. Merito, inquam,
tuæ Nobilitatis insignia defert Ilorcitanum
nostrum magnificentum Templum, & in tuorū
munificentia, & in nostrorum gratitudinis
testimonium; ut qui supra sacri Postem, &
in Altaris vertice Alburquerquium viderit
Scutum, Sacrum censeatur esse Prædicato-
RUM,

rum, & Alburquerqueiū. En (Clarissima Do-
mina) qua hæc Sacra D. Thomæ Theologia
tibi gratitudinis debeatur, ut cēsum. Sed en
qua, in Te consulat Patrociniū. An non Tu, ut
Alburquerq̄, ex inclito Dionisio Lusitaniæ Re
ge originem trahis; & ut Enriquez ex En-
rico Navarræ Rege oriunda censeris? Nemi-
nem fugit. Etenim arbor Cronologica Te
duodecimā Neptē ab illo decantat, & quar-
tam decimam ex Gallico cronologice nu-
merat. An non istæ duæ Regales progenies,
quæ seorsim tot retro seculis Triumphis vide-
bantur amictæ, Palmisque innumeris deco-
ratæ, in Te una amicissimo foedere gratu-
lantur complexæ? Eliocrata vidit. Nemo nō
novit, dum Te ex Alburquerque, & Enri-
quez primū floridissimum intuetur virgultū,
tot Palmis, Triumphis, & Coronis catenatim
contextum. Maiorū tuorum præclara vel-
le congerere gesta, non ne esset Mare
comprimere Concha? Egregias naturæ
dotes, quibus Te gratia Cœlestis amplifi-
cet, Virtutum omnium incrementis exor-
NET,

net, quis unquam prædicabit, ut decet?
Vix primum Lustrum perfolvis, & omni-
bus nature, & gratiæ Portentum efficeris.
Quo ergo Sacra hæc Theologia optatum
assequeretur tutamen, nisi in Te, & naturæ,
& gratiæ præclaram effigiem? Hanc igitur
sumisse Salutaturum intendit hoc mi-
nimum votum: ne, quæso, quod affe-
ro, dedigneris anathema, sed benignita-
te, qua polles, accipe, ac protectione
tege; ut sub tanto auspicio, foelitiorem
sibi aduentasse sortem, experiatur. Hanc
in votis habet amplitudini tuæ in æter-
num devinctus


FR. ANTONINUS GALVBR.

* (I) *



EX PRIMA PARTE D. THOMÆ.

DE PROÆMIALIBUS THEOLOGIAE.
I.



MIRABILIS facta est scientia
tua ex me , cecinit Reg. Vat. Psalm.
138. v. 6. sed quæ mirabilis sci-
entia , nisi Sacra Theologia ? Quæ
tota de Deo est , secundum quod
per omnia opera sua attingit à fine
usque ad finem fortiter , & dis-
ponit omnia suaviter. Sic enim
innotescit in omnibus. In effecti-
bus quidem naturæ per vestigium,
in operibus autem reparationis per
gratiam , in actibus demum glorificationis , sive beatificatio-
nis per gloriam. Mirabilis igitur : Et ex hoc altissima , &
nobilissima , & honorabilissima. Altissima contemplatione,
nobilissima certitudine , & dignitate , honorabilissima obsequio.
Hæc autem mirabilis Theologia , sub cuius nomine , secun-
dum Augustinum Lib. 8. de Civit. Dei cap. 1. significari in-
telligimus de divinitate rationem , sive Sermonem , dividi con-
suevit in naturalem , & supernaturalem. Supernaturalis in Bea-
tam,

A

tam,

tam, Infusam, & Acquisitam. Acquisita in Positivam, & Scholasticam, & hæc utraque in Moralem, Polemicam, & Mysticam. Præter Theologiam naturalem, sive Philosophicas disciplinas necessaria est homini aliqua *sacra doctrina*, sive supernaturalis Theologia, quæ ex revelatis procedat, nedum ad cognoscendas veritates lumen rationis excedentes, sed ad eas, quæ de Deo rationis lumine sunt vestigabiles. Hanc sacram doctrinam, sive positivam nomines, sive scholasticam appelles est una, eademque essentialiter, solo accidentali quodam modo procedendi diversa. Prout importat cognitionem de Deo, rebusque divinis habitam per discursum ex articulis revelatis est mundo coæva. Sive ut Positiva, sive ut Scholastica Ecclesiæ Dei semper fuit utilis, immo, & necessaria; nec plenè ut positiva sufficeret, nisi Scholastica accederet. Prout in viatore in scientiarum sedet folio, licet non ita perfectè sicut in Beato. Cùm adeo pura, & immaculata sit ejus conversatio, ut non sit nisi cum Deo, vel de Deo, vel in ordine ad illum, ipsum sub ratione deitatis, ut proprium contemplatur obiectum formale *quod*, sub revelatione virtuali, & mediata tanquam ratione sub *qua*. Scientiæ Dei, & Beatorum, licet non strictè, & propriè, subalternatur similitudinariè. Practicum, & speculativum amabili copulat amplexu, sed speculativum amicissimo. Et quamvis principijs supernis innixa, sit entitative naturalis scientia; adeo super istas certitudine, & dignitate volitat, ut culmen sapientiæ pertingat, ipsa que in Patria permaneat.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

II.

Quemadmodum aiebat Ambrosius in psalm. 118. *condidit turrim illam David, ille manu fortis, & supra murorum excelsa edificabit, ut subsidio pariter, & decori sit.* Sic Deus Omnipotens maximus supra Ecclesiæ suæ murorum excelsa Polemicam Theologiam apposuit, invictisque armorum generibus cumulavit; ut dum ipsis salva, & decora confisteret, hæresum, errorumque pulsa prosterneret. Hæc autem invicta armorum genera, quibus Polemica Theologia accingitur, fortiter, viriliterque debellatur, merito *Loci Theologici* communiter appellantur; sicque in particulari describitur: *Domicilium; & sedes, ex qua Theologus omnes suas argumentationes, sive ad confirmandas Theologicas veritates, sive ad refellen-*

fellenda contraria depromere potest. Circa locorum Theologicorum numerum non est una, eademque mens. Nos enim Illustrissimi Melchioris Cani Episc. Canar. vestigia præmentes, usque ad decem numeramus. Primus est, sacrarum Litterarum autoritas. Secundus, Perennis Apostolicarum traditionum usus. Tertius, totius ecclesiæ Catholicæ consuetudo, & praxis. Quartus, Universalis, & œcumenici concilij definitio. Quintus, Romani Pontificis in fidei controversijs decernendis, Christi-que Ecclesiæ regenda autoritas, & potestas. Sextus, sanctorum Patrum doctrina, præcipuè Ecclesiæ Doctorum. Septimus, Theologorum, jurisque Pontificij peritorum sententia. Octavus, momentum naturalium rationum, quas veluti ancillas sacra Theologia vocat ad arcem, ut Catholicæ fidei veritates declaret, & solidet. Nonus Assensus, Philosophorum rationem ducem sequentium, ac juris Cæsarei consultorum. Decimus, Humanæ autoritas historiæ, sive per authores fide dignos scriptæ, sive de gente in gentem traditæ, non superstiosè, atque anilitèr, sed gravi constantique ratione. Ex his omnibus argumentatur Theologia, sed discriminatur in hoc à naturalibus scientijs, quod si in his ratio primum obtinet locum, autoritas postremum; in sacra Theologia contingit oppositum.

DE AUTHORITYTE SACRÆ SCRIPTURÆ.

III.

Quid est autem Sacra Scriptura, nisi quadam Epistola Omnipotentis Dei ad Creaturam suam? Aiebat Mag. Gregor. Lib. 4. Epist. 31. ad Theodorum Medicum. Cum enim Deus ab initio per se ipsum hominibus locutus fuisset, sic enim, teste Chrysost. hom. 2. in Gen, ad Adam venit, sic Cain increpavit, sic cum Noè locutus, sic apud Abraham hospitatus est. Posterioribus tamen temporibus, quia homines malitia sua Dei familiaritate se indignos reddiderant, nec se totum volens à genere humano avertere, immò suam amicitiam renovare, quasi longe absentibus litteras mittit, conciliaturus sibi universam hominum naturam. Primo enim Deus homini litteras misit, scribereque consuevit via naturæ, hoc est per universas creaturas scripsit naturalem illam Epistolam, & scripturam, seu potius patentissimum illud, & ubique diffusum liberum naturæ, in quo teste Apost. Rom. 1. v. 20. *Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

piciuntur. Secundo, Deus homini scribere consuevit via Prophetiæ, quomodo scripsit per Prophetas in veteri testamento, & per Apostolos, aliosque sacros Scriptores in novo: Et hoc, vel per se ipsum scribens digito suo, quo pacto in duabus tabulis legem Decalogi in veteri testamento Exod. 31. v. 18. Scripsisse legimus; vel suis amanuensibus sacris, vel verba, vel sensum dictans, quomodo totam scripturam veteris, novæque legis ex 2. Petri Cap. 1. v. 21. scripsisse novimus. Hinc verè, & propriè Sacra scriptura censetur, & illa, quæ sit à Deo, vel scribente, vel dictante profecta. Hanc sacram, & vere divinam scripturam dari, eamque esse nostram, propheticam videlicet, & Apostolicam nobis ab Ecclesia propositam; talesque esse omnes eius libros in Tridentino Canone recensitos Sess. 4. decreto de scripturis Canonicis, nimirum XLV. veteris, & XXVII. novi testamenti, nec plures, nec pauciores, invicte sustinemus, & contra hæreticos, aliquos eorum expungere conantes defensamus. Ex omnibus ergo præfatis libris, in vulgata latina versione contentis, poterit Theologus firmissima argumenta, pro suis veritatibus astruendis, deducere. Sed cum sacra doctrina, instar fluvius ille, sanè magnus, qui de loco voluptatis, ad rigandum Paradisum uberius egrediebatur, sua speciosa fluentia in sensus, veluti Capita dividat, non in omnibus Clipea Theologo ad dimicandum æqualiter præparat; nam ex sensu litterali proprio potest firmum Argumentum eruere in omni eventu; ex mystico, & etiam Metaphorico, aliquando; sed ex accommodatio, in nullo.

DE AUTHORITY SACRARUM TRADITIONUM.
IV.

STate, & tenete traditiones quas accepistis, sive per Epistolam, sive per sermonem, præcipit Apost. 1. Thesal. 2. Hinc ancipitem traditionum gladium, & ad iugulandos hæreticos, debemus accipere, & ad vera dogmata, legitimamque Sacræ Scripturæ sensum discernere. Traditio ergo Sacra, Theologicè inspecta est, *fidei, aut morum doctrina, non scripta; sed viva voce, quasi de aure in aurem usque ad nos successivè transfusa.* Multifariam dividitur, prout ad authorem, materiam, subiectum, durationem, & modum quo traditur, comparatur. Ex parte authoris, dividitur in Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. Traditio Apostolica, alia est pure
Apos-

Apostolica, Apostolico-Divina alia. Sed cur? Pulsanti, aperietur. Ex parte materiæ, dividitur in traditionem de *fide*, & traditionem de *moribus*. Ex parte subjecti cui traditur, dividitur in Universalem, & particularem. Ex parte durationis, dividitur in Perpetuam, & temporaneam. Denique, ex parte modi, quo traditio traditur, in necessariam, & Liberam partitur. Sed quid? Num ex omnibus his traditionibus poterit Theologus argumentum desumere, efficaciter, viriliterque debellare? Minime. Ex Christi enim, & Apostolorum traditionibus, & ex hoc, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper est observatum: Ex consuetudine item Ecclesiastica Universali, perpetua, ac semper, & ab omnibus ubique gentium receptum, tutum Argumentum habebit, efficaciterque dimicabit.

DE AUTHORITY ECCLESIE.

V.

Deus unus est aiebat Cipria. Epist. 39. & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum Sacerdotium, non potest. Quisquis alibi Collegerit, spargit. Hanc Catholicam Ecclesiam nunquam defecisse, semperque perseverasse, pro certo habemus. Sic eam describimus: Cætus fidelium, sub uno capite Christo, fidei unione, & Sacramentorum participatione coadunatus, & gubernatus à legitimis Pastoribus, præcipue verò ab uno Christi in terris Vicario Romano Pontifice. Et quemadmodum in illa Arca (Noetica,) inquit Hieronimus dialog. adver. Lucifer. omnium animalium genera, ita & in hac Ecclesia Universalium gentium, & morum homines sunt. Ut ibi pardus, & hedi; Lupus, & agni: Ita & hic Justi, & peccatores, idest vasa aurea, & argentea, cum ligneis, & fictilibus commorantur. Hanc veram Catholicam Ecclesiam Sanctam esse, suarum legum, sui que conditoris Christi Sanctitas probat, suorumque Membrorum sanctitas confirmat. Eam, & si aliquando hæresum tempestatibus submersam, schismatum tenebris obscuratam, tribulationum fluctibus operitam, unquam à fide, & doctrina defecisse, neque posse; semperque sicut Lucernam accensam super candelabrum perseverasse, evidens est signum, firmumque Argumentum viro Theologo, quod possit ex ipsa Argumentari tutò.

B

DE

DE AUTHORITATE ROMANI PONTIFICIS.
VI.

Nequè enim aliunde hæreses oborta sunt quam quod inde, Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex, vice Christi cogitatur. Hæc de suis temporibus Ciprian. Epist. 55. quæ qua conveniant præsentium temporum hæresibus, qua verò istæ prodierint ex inobedientia adversus summum Sacerdotem in Ecclesia vices Dei gerentem, nemo non videt, dum ad oculum, habet, Luteranos, Calvinistas, aliosque similis furfuris, Romanorum Pontificum decreta, constitutiones, definitiones, flocci facere, probris ac dicerijs insurgere, Primatumque Romani Antistitis in Ecclesia audacter negare. Adversus horum insaniam, non adulationis animo, sed veritatis amore, & obsequio, invictè sustinemus, Christum Dominum soli Beatissimo Petro, tanquam ipsius Vicario Ecclesiæ suæ Primatum contulisse; hancque summam potestatem regendi totam Ecclesiam cum Petri officio, & Persona extinctam non fuisse, sed ad ejus Successores legitimos transmigrasse. Hinc Authoritatem Romani Pontificis, dum circa res fidei definit, & dum, ut Pastor Ecclesiam Universalem ex Cathedra docet, præviè ad Ecclesiæ consensum, & extra Concilium esse infallibilem, sustinemus, invictumque Argumentum præstare, propugnamus.

DE AUTHORITATE CONCILIORUM.
VII.

Si ergo convenerunt Apostoli, & Seniores (Præsbiteri) vide-
re de verbo hoc, ut habetur Act. 15. v. 6. Concilium quo-
ad præsens, idem valet ac: *Conventus, seu congregatio Pri-
morum Ecclesiæ, sub uno capite certo, ad Catholica fidei con-
troversias diffiniendas, ac leges Universales, ad totius Ecclesiæ
mores spectantes, condendas.* Ex Concilijs vero, quædam sunt
Generalia, seu œcumenica, quædam Nationalia, quædam Pro-
vincialia, quædam demum Dioecesana, quæ vix dixeris Con-
cilia. Cum solius Romani Antistitis sit Concilia Generalia con-
vocare, eisdem per se, vel suos Legatos præsidere, eorum-
que decreta, Statuta, Sanctiones, definitiones approbare, Con-
cilium Generale autoritate Romani Pontificis confectum, &
confirmatum, præstat Theologo Argumentum tutum. Quod
verò

veró nec ejus consensu initur , nec autoritate roboratur, nec certam fidem facit, nec validum Argumentum offert. Ex illis autem Concilijs , quæ nec approbata sunt , nec pariter reprobata , probabilissimum sibi valet Argumentum sumere , ne-
tquam veró irrefragabile. Sed quid si per Legatos Romani Pontificis celebrari contingat , & dicti Præsulis Confirmatio non accedat ? Gaudebit ne tunc tale Concilium , certa , firmaque , autoritate ? Minime. Hinc esto Episcopi in Concilio sedentes , sint verè Judices , eorum sententia caret certa , & infallibili in suis decretis autoritate , deficiente Romani Antistitis Confirmatione. Nec tenebitur majoris partis Concilij iudicio, ac sententiæ acquiescere, quin possit ab ea pro veritate deviare.

DE AUTHORITATE SS. PATRUM.
VIII.

ET ipse dedit quosdam quidem Apostolos , quosdam autem Prophetas , alios verò Evangelistas , alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in adificationem Corporis Christi :: ut jam non simus parvuli fluctuantes , & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum , in astutia ad Circumventionem erroris. Dixit Apost. ad Eph. 4. v. 11. & 14. si enim Pastores , & Doctores in Ecclesia posuit Spiritus Sanctus , ut essent in Aedificationem Corporis Christi , ac Lumina , ad quæ fideles respicerent, tum in agnoscendis fidei Misterijs , tum in moribus componendis: Oportet ergo , ut præditi sint speciali , & eximia Misteriorum fidei cognitione , & rursus eximia erga Deum pietate , & charitate. Hinc nomine *Patrum Ecclesie* solum intelligimus illos, qui in fide constantes , doctrina excellentes , vitæ Sanctitate præstantes , seculo Apostolorum, vel non longe ab illo , fidei plantandæ adlaboraverunt, vel pro ea saltém tuenda, infudarunt. Talium SS. Patrum unanims consensus in explicatione Sacræ Scripturæ , & in repertente ad fidem, bonosque mores , est signum à posteriori , & infallibile testimonium divinæ revelationis , ideoque certum , & irrefragabile nobis suppeditat argumentum. In rebus , quæ Sacras Litteras , vel doctrinam fidei concernant, unius , vel paucorum Patrum autoritas , solum probabile nobis Argumentum subministrat. In rebus , quæ nec fidei dogmata sunt , neque ex his certò derivantur , Argumentum sumptum ex communi etiam consensu
SS.

SS. Patrum est quidem probabilissimum, non tamen per se loquendo de fide certum. Demum, ex doctrina Philosophica, & pure humana nullam habente connexionem cum fidei dogmate, quæque in scriptis unius, vel plurium Patrum inveniatur, Argumentum certum non eruitur, sed unice tantum valebit, quantum illa ratio adducta naturalis persuaserit.

DE AUTHORITY THEOLOG. SCHOLAST. JURISQUE PONTIFICII
Doctorum.

IX.

SI essent Scholastici Doctores, quales erant Hilarius, Hieronimus, Basilius, sequeremur eos. Si in diebus Augustini, Ambrosij Hieronimi fuissetus, non essemus socij Manichæi Novati, Vigilantij, Pelagij, Joviniani, vociferant moderni Protestantes apud Illust. Cano. Iphis tamen quam optime aptatur Christi responsum Math. 23. v. 31. *Testimonio estis vobis metipsis, quia filij estis eorum*, qui Sanctos antiquos contempserunt, quorum errores ab inferis excitastis. Quasi diceret: si Juniores Theologos contemnitis, nonne eadem audacia veteres Patres contemneretis? Sic de facto Hæretici recentiores ausi sunt Theologos Scholasticos contemnere, convitijs impudenter onerare, eorumque auctoritatem explodere. Theologorum Scholas *Cainitica Castra* vocat Uvicleffus: *Conventus idololatria, & impietatis Scholas* Calbinus: *Antichristi Lupanaria* Luterus. E contra vero Catholici omnes summo in honore Scholasticos Theologos habent tanquam sanæ doctrinæ Vigiles, & Custodes. Unde concursus omnium Theologorum Scholasticorum toto orbe diffusorum sententia in re fidei, aut morum, ita firmum præbet Argumentum, ut ei contradicere hæreticum sit, vel saltem hæresi proximum. Ubi vero alij viri docti in materia nondum definita contrarium asserunt, Scholasticorum, Theologorum, etiam multorum testimonium, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior auctoritas comprobarit. Cum enim Jus Pontificium, seu Canonicum sit illud, quod in Decreto Gratiani, & Decretalibus continetur, in ipsoque quam plures species auctoritatum reperiantur, necesse est, quod pro diversitate Materiæ, vel authorum, plus, vel minus valeat Argumentum. Si enim auctoritates sint SS. Patrum, Conciliorum, summorumque Pontificum, & materiam, fideique definitionem concernunt, firmissimum Argumentum, offerunt. Si
veró

verò authoritates pertineant solum ad Ecclesiastica decreta, disciplinam, ac mores respicientia, quæque sunt, & propriè dicuntur leges humanæ, certam præstant probationem Theologicam, non tamen fidei, sive omnimodam. Ac demùm, si sint, authoritates ipsius Gratiani Compilatoris, Paleæ, Juris Civilis, vel Secularium Principum, certam ex se probationem non faciunt. Sed quid de authoritate Juris Pontifici Doctorum, comparativè ad Theologos? Num istis præ illis est parendum, nec ne? In rebus ad fidem pertinentibus, in hisque jus naturalæ, & divinum concernunt, siveque ad mores per dicta jura regendos pertinent, Theologorum authoritatem Canonistarum placitis præferimus. At ubi de legibus purè Ecclesiasticis agitur, per quas nimirum determinantur circumstantiæ Juris naturalis, & divini, ut de ministrorum Officiis, de decimis persolvendis, de pœnis, & censuris, &c. Canonistarum sententia, Theologorum placitis præferenda est.

DE NATURALIS RATIONIS PHILOSOPHORUMQUE AUTHORITY.
X.

Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna, quoque ejus virtus, & divinitas, ita, ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Ait Apost. Rom. I. Si ergo ex creaturis naturaliter cognitis certum sumitur argumentum ad probandum Deum esse, ac sempiternam habere virtutem, nec non divinitatem, ita, ut inexcusabilis sit, qui eum, cum sic cognoverit, non ut Deum glorificaverit, clare constat naturalem rationem Sacræ Theologiæ inimicam non esse, sed ipsi veluti ancillam deservire. Utitur tamen Sacra doctrina, inquit D. Thom. I. p. q. I. art. 8. ad 2. etiam ratione humana, non quidem ad probandum fidem, (quia per hoc tolleretur meritum fidei) sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina. Igitur, esto aliquando ex ratione naturali conjuncta cum fide certum Theologus summere possit argumentum, plerumque tamen ex sola naturali ratione desumptum, erit invalidum. Philosophorum quoque omnium una, eademque consensus certam fidem facit philosophici dogmatis. Si vero de unius, vel alterius Philosophi doctrina fit sermo, quo quisque sit doctior, & gravior, eo authoritas illius erit probabilior.

C

D

DE HUMANE HISTORIÆ AUTHORITY.

XI.

QUID jucundius, ait Diodorus Siculus in Proem. vitæ Philippi, & Alex, quam omnia nosse, disjunctissimas regiones velocissimi sideris more lustrare, omnium ætatum memoriam, res gestas, facta, exempla percensere, imperiorum status, ortus, progressus, vicissitudines, decursus, exitus, uno mentis aspectu contemplari? Quid illustrius; quam regendi disciplinam, clarissimarumque virtutum effigies in unam veluti tabulam congestas inspicere? Quid denique utilius, quam in humane vitæ teatro sedentem, periculis aliorum sine suo periculo cautum, sapientemque fieri? Hæc, pleraque alia nobis commoda cum præstet historia, compertum est, illius cognitionem plurimos in Theologia fructus facere, ipsiusque ignorantiam varios errores peperire. Nominæ *Historiæ*, nedum *Historia Ecclesiastica*, sed etiam profana, & *Ethnica*, venit hic intelligenda: dummodo tamen sit scripta per Authores fidedignos, seu de gente in gentem tradita; non quidem superstitiosè, non aniliter, sed constanti fundamento, ac gravi rationum pondere: attamen, nullus historicus, præter Sacros Scriptores idoneus est per se ad faciendam certam in Theologicis fidem. Historici graves, & fidedigni, quales nonnulli sine dubio, & in Ecclesiasticis, & in Sæcularibus fuere, probabile argumentum suppeditant Theologo, cum ad ea, quæ sua sunt corroboranda, tum ad falsas adversariorum oppiniones revincendas. Ubi vero omnes probati, & graves Historici in eandem rem gestam concurrunt, tunc ex horum autoritate certum ducitur argumentum, ut Theologica dogmata firma ratione constituentur. Hinc ad veras, falsasque historias ad invicem discernendas, nonnullæ regulæ sunt ad invicem observandæ. Notanda est igitur viri historici integritas, & honestas, quæ omnino locum habet, cum, quæ narrat historicus, ea, vel ipse vidit, & se vidisse, testatur, vel ab his, qui viderunt, accepisse, confitetur. Insuper, si ad eligendum, & judicandum ingenii severitati quandam prudentiam adjunxerit; quique ad scribendum veritatis amore fuerit excitatus, non complacendi, aut adulandi genio permotus.

DE ESSENTIA, EXISTENTIA, ET DEI ATTRIBUTIS.
XII.

PRestantem aliquam eternam naturam, & eam suspiciendam, adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum Cœlestium cogit confiteri. Aiebat Cicero lib. de Divinit. Hinc Dei existentia à creaturis tam altè prædicatur, & ab Ang. Thoma contra Atheismum quinque subtilissimis rationibus à posteriori tam perlucide evincitur, quod nemo ad usum rationis perveniens ignorantia invincibili existentia Dei laborare potest, neque ad breve tempus in vitæ suæ decursu laborare valet. Hæc propositio: *Deus est*, licet sit per se nota secundum se, secus quoad nos. Deum necessario esse unum Catholicè confitemur, impossibilemque esse ejus pluralitatem contra Politheismum propugnamus. Hinc, Pagani cultum veri Dei falsis numinibus exhibentes, sunt deridendi; Hebræique vitulum aureum adorantes, condemnandi. Cùm Deus sit purissimus spiritus, ejusque essentia sit verè, & propriè sua deitas, ita Corpus, membraque humana refugit, à compositione ex materia, & forma recedit, ab ea quæ est inter Deum, & deitatem deviat, ut solum suam essentiam esse idem cum suo esse absque compositione permitat. Phisicum naturæ divinæ constitutivum congeriem omnium divinarum perfectionum ambit; metaphisicum verò solam rationem entis à se, & per se in tota plenitudine essendi, recognoscit. Quare si Deus describi deberet, sic exprimenda foret ejus notio: *Deus est, qui est à se, & per se in tota plenitudine essendi.*

XIII.

Recedant à nobis, charissimi, recedant nobelli, inquit D. Bernard. serm. 80. in Cantica, non dialectici, sed heretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, & item bonitatem, qua bonus, sed & sapientiam, qua sapiens, & justitiam, qua justus, postremò divinitatem, qua Deus est, Deum non esse, impiissimè disputant. Hæc igitur pluraque alia in Deo relucet prædicata, quæ à Theologis vocantur attributa. Sola virtuali distinctione, & rationis ratiocinata distinguntur, cùm inter se, tum à natura; per quod exploditur error, tum Gilberti Porretani distinctionem actualem in re inter essentiam, & attributa statuentis; tum Gregorii Palamæ stolidam, & impia sententia de distinctione reali divinæ essentia à sua operatione; tum denique error

error Eunomii omnem distinctionem, etiam per rationem, inter essentiam divinam, & attributa negantis. Sed cum Deus sit summè perfectus, & bonus, tum bonitate absoluta, tum respectiva, tum morali; & in genere entis simpliciter infinitus, omnium rerum perfectiones simpliciter simplices formaliter in Deo continentur, quæ verò tales sunt secundumquid, eminenter in ipso reperiuntur. Nec est aliquid melius, & perfectius cum creaturis, quam Deus solus. Est summè immensus, seu habet vim infinitam, ut omnibus, & si infinitis locis adsit, estque de facto omnibus rebus, & locis intimè præsens per suam operationem, tanquam per rationem formalem. Nec inde inferas esse in spatiis imaginariis actu, & positivè, sed tantum fundamentaliter, & negativè. Deus est omnino immutabilis quoad esse, quoad formas, & quoad actiones intellectus, & voluntatis: undè pessime erravit Conradus Vvorstius, qui inter cæteras hanc blasphemiam evomuit: *Deus est mutabilis.* Aternitas, juxta Boetium lib. 3. de Consolat. *Est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio.* Est Dei propria, creaturæque potest communicari quantum ad aliqua. In quo autem ab ævo, & tempore differat. Rogatus, dicam.

DE VISIONE DEI.

XIV.

Oculus non vidit, Deus absque te, quæ preparasti expectantibus te, dixit Isai. 64. v. 4. Igitur Deus neque oculo corporis, neque oculo mentis naturaliter videri potest: quinimò substantia creata superna, cui connaturalis sit clara Dei visio, omnino repugnat. Et licet Deus, ut clare visibilis contineatur sub humani intellectus objecto extensivo, nihilominus possibilitatem visionis claræ Dei viribus naturæ non potest demonstrare, sed solum non esse impossibilem aliquam ostendere. Appetitu elicitò inefficaci, minime innato, aut elicitò efficaci trahimur in Deum. Sed cum ipse Deus immediatè per se ipsum menti Beatorum uniatur, eamque ad sui cognitionem fecundet, ad eliciendam visionem species sive impressa, sive expressa nedum non est necessaria, verum quæ Deum, ut est in se præsentet, omnino repugnat. Intellectus creatus lumine gloriæ confortatus potest divinam essentiam clare, & intuitivè videre, sed oculus corporeus, sive ut elevatus, sive ut glorificatus, minime. Ad videndum clare Deum intellectus creatus aliquo creato lumine adèò indiget confortari, quod ipsius defectus,
nec

nec per extrinsecam Dei assistentiam possit supleri. Et licet intellectus sit, qui proximè, & immediatè videt Deum, tota tamen ratio, & virtus proxima videndi est lumen gloriæ; ita, ut intellectus propria, & nativa virtute non concurrat, adhuc partialiter.

XV.

IN domo Patris mei mansiones multa sunt, dixit Christus Joan. 14. v. 2. Beati ergo non uno modo vident Deum; hæc tamen diversitas non est specifica, sed accidentalis, provenitque ex sola luminis inæqualitate. Sanctos, qui purgatione non indigent statim post hanc vitam clara Dei visione donandos esse, est dogma fidei definitum in Florent. Sess. ult. in Decreto unionis, sicque falsum est, eam illis differri usque post Judicium universale: Nec Joannes XXII. unquam assertivè docuit, animas sanctas, usque ad supremum judicii diem visione Dei non frui. Similiter exploditur tanquam fabula, imò, & impietas, *Millenarium* illud regnum, quo cum Christo regnaturi post universalem resurrectionem fingebantur à Cerintho Sancti. Deum de factò Beati non comprehendunt, nec de potentia absoluta comprehendere possunt. Sic Deum vident, ut ipsos nihil Dei lateat; quinimò & repugnet, vel unum divinum prædicatum, cæteris visis, non videri. Vident pariter Beati in Verbo, nostræ fidei mysteria omnia, totius universi partes præcipuas, & omnia ad uniuscujusque statum pertinentia; nec tamen omnia in Verbo quilibet intelligit, sed aliqua extra Verbum per revelationem, & illuminationem cognoscit. Vident etiam omnia possible in communi, in particulari verò plus, minusvè, pro cujusque luminis diversitate; sed omnia in particulari intueri, est omnino impossibile. Præter Christum, Moysen, & Paulum nullus in hac vita unquam clarè vidit Deum.

DE SCIENTIA DEI.

XVI.

O *Altitudo divitiarum sapientia, & Scientia Dei!* Exclamat Apost. ad Rom. 11. admirationem stupore admiscens, dum contemplatur divini intellectus immensum pelagus. Dei tamen scientiam, & à priori ex immaterialitate demonstrat Omniscius Doctor Angelicus. Quæ licet per modum habitus virtualitèr superadditi, & à divino intellectu distincti, Deo repugnet, per modum actus, & à priori Deum non dedecet. Deus igitur habet scientiam propriè talem, & à priori, tum respectu omnium

D

crea.

creaturarum, tam præsentium, quam futurarum, imò & possibilem, tum etiam respectu suorum attributorum; non vero scientiam à posteriori propriè talem, neque discursum formalem, imò nec virtualem subjectivum, benè vero objectivum. Deus comprehendit se ipsum; sed alia à se, non immediatè in se ipsis, sed in se ipso, tanquam in specie, & etiam ut in causa cernit, & intuetur. Divinus intellectus verè obtinet rationem potentia, & principii respectu sui actus, à quo virtualitèr distinguitur. Ejus objectum formale primarium tam motivum, quam terminativum est ens increatum, seu divinum, ut comprehendit essentiam, attributa, & relationes; creaturæ vero sub ipso non comprehenduntur. Plausibilem divinæ scientiæ divisionem in visionis, & simplicis intelligentiæ, ut bonam, & adæquatam sustinemus, neque esse tanquam in duo attributa virtualitèr distincta, propugnamus. Scientia Dei est causa rerum; nedum directiva, sed etiam effectiva; scientia quidem simplicis intelligentiæ remotè; scientia autem visionis, quatenus approbationis, proximè.

DE SCIENTIA FUTURORUM.

XVII.

Intellexisti cogitationes meas de longe, semitas meas, & funiculum meum investigasti, & omnes vias meas previdisti. Cecinit Reg. Vates Psalm. 138. v. 3. & 4. Igitur Deus ab æterno, certo, & infallibilitèr cognoscit subjectivè, & objectivè futura omnia contingentia tam absoluta, quam conditionata, sive conditio sit conducens, sive disparata, sive repugnans. Physica futurorum in æternitate præsentia sufficit ad fundandam in Deo de illis certam, & infallibilem cognitionem, & licet non sit unicum medium in quo Deus de illis certam, & infallibilem cognitionem habeat, necessariò requiritur, ut illa intuitivè cognoscat. Non ideo res sciuntur à Deo, quia futuræ sunt; sed potius è contra. Futuri contingentis sive absoluti, sive conditionati, naturam non callet, qui illud formalitèr non constituit in ratione futuri infallibilis per divinum decretum efficax absolutè existens in Deo. Nemini licèt dubitare, in aliquo medio Deum futura conditionata cognoscere. Sed in quo? Hoc opus, hic labor. Nos invictè propugnamus, illa cognoscere, non in ideis decretum anteventibus; non in decretis pro aliquo signo futuris; non in voluntate creata super comprehensa; non in eorum veritate objectiva; sed in decretis subjectivè absolutis, & objectivè conditio-

na-

natis. Ad quid ergo *Scientiam mediam* Novatores bocant? Non-
nè in vanum laboraverunt, qui edificant eam?

DE VOLUNTATE DEI.

XVIII.

S*icut fuerit voluntas in Cælo, sic fiat*, dicitur Machab. 3. Et
alibi in Sacra Scriptura divinæ voluntatis existentia ita re-
peritur, ut nedum paginæ omnes, sed litteræ illam testari vi-
deantur. Tam bellè D. Thomas illam in Deo ex intellectivo
demonstrat, quod nobis, iustantia intellectiva, quæ volitiva
non sit, impossibilis appareat. Ejus objectum formale primarium
motivum, & terminativum est bonitas divina, omnes divinas
perfectiones comprehendens. Deus igitur amat se ipsum, & crea-
turas futuras, & existentes amore efficaci, & effectivo, sed pos-
sibiles inefficaci, tantum conditionato, & simplicis complacen-
tiæ. In Deo datur voluntas antecedens, & consequens. Ante-
cedens non dicitur talis ex eo, quod antecedit prævisum con-
sensum, quem creata voluntas est, vel non est præstitura gra-
tiæ excitanti. Nec consequens ex eo, quod supponat prævium,
ac prævisum ejusdem voluntatis consensum. In Deo datur vo-
luntas antecedens, & sincera salvandi omnes homines: undè
Christum Dominum mortuum fuisse, ex animo, & voluntate
antecedente salvandi omnes homines, Semipelagianum non est,
sed Catholicum; sicut etiam, & sanguinem fudisse pro his,
qui sine baptismo decedunt. Igitur Deus omnibus, & singu-
lis hominibus, sive parvulis, sive infidelibus, sive obcæcatis, si-
vè induratis auxilia sufficientia, vel proxima, vel saltè remota,
ad observanda præcepta, & ad salutem necessaria offert
& confert; ita, ut nemo se excusari possit, quod non servat,
aut non salvatur, quia hoc est ei impossibile. Optima illatio.

XIX.

N*ON est Deus quasi homo, ut mentiatur: Nec ut filius ho-*
minis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? Locutus est,
& non implebit? habetur numer. 23. v. 19. Divina ergo voluntas
est omnino immutabilis, nec fieri potest, ut Deus in tempore
reformet, aut retractet decreta, quæ ab æterno formavit, vel
quod formet alia opposita. In Deo est summa indifferentiæ
libertas, & arbitrii, quæ optimè cohæret cum ejus immutabi-
litate, & eternitate. Hac libertate gaudet, non ad propriam
bonitatem, sed ad creaturas, quæ tamen sub objecto ejus pri-
mario non continentur. Actus liber Dei nil aliud est, quam
actus

actus necessarius voluntatis divinæ, ut dicens habitudinem non necessariam ad objectum volitum: hæc autem habitudo non addit ex parte recti, seu Dei aliquid intrinsecum virtualiter distinctum ab actu necessario, quod sit defectibile; sed dicit aliquid defectibile ex parte rei volitæ. Voluntas Divina non potuit manere negativè prorsus suspensa circa creaturas, nec eas directè volendo, aut nolendo, nec liberè volitionem, aut nolitionem circa illas omittendo: undè probabilius existimo, & condecentius Divinæ actualitati, quod Divina Voluntas aliquo actu directo, vel volitionis, vel nolitionis positivè illas volendo, vel nolendo se se exercuerit circa creaturas; ita ut satis non fuisset aliquas earum actu indirecto liberè attigisse. Actus liberos creatos planè prædefinit Deus, non decreto indifferenti, sed per se, & ab intrinseco efficaci; quod tamen creatam libertatem non tollit, sed potius facit, & fovet.

DE DIVINA PROVIDENTIA.

XX.

Deus ea religione nobis est venerandus, ut quidquid religiosius sentiri potest, quid quid præstantius ad decorem, quid quid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas convenire, aiebat Ambros. lib. I. de Fide cap. 7. Cum igitur excellentis bonitatis, sapientiæ, & potentiæ sit mundum regere, & omnium curam, ac providentiam habere, providentiam in Deo Catholicè confitemur, qui non solum est omnium Creator, & Conservator, sed omnium Supræmus Provisor. Nihil est aliud: quam, *ratio ordinis rerum in finem*. Dei providentia semper finis consecutionem includit, vel finis rei præfixi, vel finis à Deo intenti. Omnia creata quantumvis minima, & vilia Dei providentia gubernantur; causæ item liberæ, & earum actiones subsunt, (& quidem præcipuè) Divinæ Providentiæ; quin etiam peccatores subduntur, imò & ipsa peccata, non quidem tanquam provisa, sed tanquam permissa. Si providentia sumatur pro ratione ordinis, sic Deus immediatè per se ipsum omnibus providet; si vero pro executione ordinis, non immediatè per se, sed mediis causis creatis. De actibus vero humanis, solum Deum directè, & per se immediatè providere, sustinemus; neque in illos actionem ullam habere Corpora Cœlestia, propugnamus. Hinc ex corporum Cœlestium impressionibus nullum iudicium certum de contingentibus, & liberis eventibus Astrologi possunt efformare; quin & hoc facere, minimè licet.

Cur

Cur autem ex prædictione astrorum Astrologi frequenter vera prænuntiant? Si opus fuerit, faciam satis. Providentia, (paritèr prædestinatio) non consistit ex æquo in actu intellectus, & voluntatis: neque in actu illo scientiæ mediæ proponente omnia media, & congruentiam eorum; sed formaliter, & essentialiter, seu in recto consistit in actu intellectus practici, connotante tamen, & supponente actum voluntatis. Hic autem actus in quo Providentia, & Prædestinatio formaliter consistunt, est actus imperii supponens finem volitum, & media electa.

DE PRÆDESTINATIONE.

XXI.

Quos prædestinavit, hos & vocavit, inquit Apost. Rom. 8. v. 30. Igitur in Deo datur prædestinatio, qua ab æterno aliquos ad gloriam elegit, & ordinavit. Nihil est aliud: Quam, *Præscientia, & preparatio beneficiorum, &c.* sive, *ratio transmissionis creaturæ rationalis, &c.* Hinc nullus est salvandus, qui prædestinatus non sit, sive soli prædestinati sunt salvandi. Ejus objectum formale proprium, & specificum, seu immediatum sunt media, gloria autem est finis ad quem prædestinationis objectum ordinatur. Electio intentiva ad gloriam merita prævisa non supponit; undè homo lapsus non prædestinatur ad gratiam ex prævisis meritis per solas vires naturæ comparandis; neque ex prævisione operum, quæ moraliter bona sint, quæque de congruo Deum moveant ad conferendam primam gratiam, sicut nec parvuli ante usum rationis decedentes prædestinatur ad gloriam, nec ab ea excluduntur ex prævisione operum, quæ egissent, si ad adultam usque etatem vitam protraxissent. Gloria de facto redditur prædestinatis adultis propter eorum bona opera, & consequenter gloria ut danda, ex meritis est, & ut corona. Electio ad gloriam nullam supponit causam ex parte nostri; & sic homo non prædestinatur, seu non primo eligitur ad gloriam ex prævisis meritis per auxilium gratiæ comparandis, sed voluntate prorsus misericordi, & gratuita, antevertente omnem meritorum prævisionem. Quæcumque efficax vocatio, justificatio, & glorificatio; gratia pariter semel, vel sæpius per peccatum interrupta, & per poenitentiam recuperata; mala itèr tùm naturæ, tùm poenæ sunt effectus prædestinationis voliti à Deo prædestinatis ex voluntate eos salvandi. insuper permissio peccati, seu denegatio gratiæ efficacis in hac, aut illa occasione electis potest procedere ex in-

E

ten-

tentione illos salvandi. Substantia verò prædestinati secundum se, & quoad suum primum esse de facto non fuit imperata, & volita à providentia prædestinativa, & consequenter nec effectus illius.

DE REPROBATIONE.

XXII.

Cujus vult miseretur, ait D. August. tom. 2. epist. 105. *non justitia, sed misericordia gratia; quem vult obdurat, non iniquitate, sed veritate vindicta.* Igitur est in Deo reprobatio damnatorum in gehennam; in actu intellectus essentialiter consistens, actumque voluntatis supponens. Reprobatio est duplex, positiva una, negativa alia. Impiè erravit Calvinus docens, unicam, & adæquatam tum positivè, tum negativè reprobationis causam esse solam Dei voluntatem; sicquidem reprobatio positiva prævisionem demeritorum supponit, negativa originale peccatum attendit; particularis verò, seu comparativa unice divinum beneplacitum agnoscit. Permissio peccati actualis numquam remittendi, denegatio specialis doni perseverantiæ, excecatio, & obduratio in reprobo, pœna æterna, tum damni, tum sensus sunt reprobationis effectus, sed peccata ipsa nullatenus. Deus certò scit, non solum quot sunt salvandi, (idem de reprobis) sed etiam quinam sint illi. Major est numerus reproborum, quam prædestinatorum. Nec potest quis de via ordinaria, de sua reprobatione, vel prædestinatione esse certus in hac vita.

DE EXCELSO SS. TRINITATIS MYSTERIO.

XXIII.

Fides autem Catholica hac est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur :: qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat, ajebat Athanas, in symb. v. 3. & 26. Cum igitur hujus arcani mysterii fundamentalis ratio sit realis processio, in Divinis duas processiones dari, per intellectum unam; per voluntatem aliam, fides docet, ratio suadet. Activè autem inspectæ non in emanationibus immediatis à natura divina stabiliuntur, sed in actibus intelligendi, & volendi, modificatis per relationes principiorum, quas connotant, formaliter collocantur. Principium quo radicale divinarum processionum est natura divina, proximum vero intellectus, & voluntas, connotatis tamen relationibus. Verbi Divini processio est verè, & propriè generatio, verèque Verbum procedit ut genitus, & filius, minimè vero Spiritus Sanctus. Sed cur? Unice quia ille
per

per intellectum, iste vero per voluntatem procedit. In Deo dantur relationes reales. Sunt quatuor, & ab essentia distinguntur, non realiter entitative, modaliter, aut formaliter, sed solum virtualiter. Specialem perfectionem de genere relativo, à perfectione absoluta divinæ essentiæ virtualiter distinctam asserunt, sed unicam existentiam absolutam agnoscunt.

XXIV.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una est divinitas, equalis gloria, coæterna majestas, D. Athanas. in symb. v. 5. & 6. Confitetur, & hinc nomen Personæ Deo maximè adaptatur. Persona Divina in ratione personæ, & incommunicabilis non constituitur per aliquid purè absolutum, sed includit aliquid relativum. Tres sunt Personæ in Deo realiter distinctæ cum una natura, triplici subsistentia relativa, una absoluta, & quinque notionibus. Inter Divinas Personas est mutua circuminsessio, seu inhabitatio, penetratio, & permeatio, qua una Persona dicitur esse in alia. Nomen Verbi in Deo est nomen personale, (idem de Imagine) solius secundæ Personæ proprium. Verbum Divinum per se procedit ex cognitione Divinæ Essentiæ, Attributorum, Personarum, & Creaturarum possibilium; sed non nisi per accidens ex futurarum, & existentium. Spiritus Sanctus à Patre, Filioque per se procedit, tanquam ab uno principio. Hinc unica, totalis, & adæquata ratio distinctionis personalis, & realis Spiritus Sancti à Filio, est ab ipso realis processio; ita ut si à Filio non procederet, ab illo non distingueretur realiter.

DE DEO CREATORE, RERUMQUE DURATIONE.

XXV.

EGO sum Dominus, faciens omnia, extendens Cælos solus, stabilis terram, & nullus mecum, dixit Deus per Isai. 44. v. 24. Deus igitur est prima causa efficiens, & exemplaris, omniumque rerum ultimus finis. Plura ex nihilo immediatè creavit, omnia tamen ex nihilo mediatè fecit. Vis creativa ad eum est Deo connaturalis, & propria, quod ad principaliter creandum nulli creaturæ possit communicari, neque à Deo ad creandum ut instrumentum assumi. Universitas creaturarum non semper fuit, seu mundus ab æterno non fuit; sed cæpit esse. Undè mundum non semper fuisse, sola fide tenemus; neque demonstrative probari posse, propugnamus. Præter hunc mundum nobis adspectabilem, alium mundum non statuas, neque alios homines,

nes, præter eos, qui terras incolunt, confingas; alium tamen, five alios mundos condere, apud Deum non est impossibile. Sed cum mundus in initio temporis fuerit conditus, five tempus cum mundo fuerit concreatus, quatuorque insuper sint tempora, Vernum scilicet, Æstivum, Autumnale, & Hyemale, quæ totum anni circulum designant; quodnam ex his, dices, erit tempus, quo primò in lucem prodidit mundus? Nobis sententia magis arridet, quæ verno tempore prodijisse, sustinet.

DE ANGELIS.

XXVI.

Quamvis non videamus apparitionem Angelorum: abscondita est enim ab oculis nostris, & est in quadam republica magna Imperatoris Dei; tamen esse Angelos novimus ex fide, & multis apparuisse, scriptum legimus, & tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. Spiritus autem Angeli sunt: Et cum Spiritus sunt, non sunt Angeli, cum verò mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim officij nomen est, non natura, aiebat August. in Psal. 103. Igitur verè dantur Angeli, non ante mundum hunc corporeum, & visibilem, sed simul cum ipso creati, in cœloque Empyreo, seu supremo corpore à Deo producti. Sivè boni, five mali sunt purè spirituales, & omninò incorporei, adeòque perfecti, ut compositionem ex spiritu, & corpore quamvis aereo, & subtili, renuant, quamque sit ex materia, & forma poenitus excludant. Multitudo Angelorum omnium materialium rerum multitudinem specificam maximè superat, numerumque hominum, qui sunt, erunt & fuerunt, supervolat. Inter omnes Angelos distinctionem specificam admitimus, nec eorum multipliciter intra eandem speciem athomam de potentia absoluta implicare, propugnamus. Sed cum Angelorum principijs naturalibus attentis, Angeli semel creati, exigant semper esse, ita ab intrinseco incorruptibiles, & immortales apparent, quod absolute possit Deus eos in nihilum redigere, si velit. Sunt verè in loco corporeo, in quo formaliter proxime non constituuntur per suam substantiam, sed per applicationem suæ virtutis huic potius, quam altari loco. Hæc autem applicatio virtutis non est applicatio prævia, & quasi præparativa ad operandum, sed applicatio formalis, & in actu secundo per actualem operationem: Operationem, inquam, non tantum inferentem motum, seu mutationem aliquam realem in corpore, sed quemlibet contactum actualem

vir-

virtutis Angelicæ, qui se habeat per modum operationis, & per modum actus secundi. Ratio vero proximè fundans Angeli præsentiam in loco sibi violento, est passio illi illata ab extrinseco. Unus Angelus, sive naturaliter, sive divinitus non potest esse in pluribus locis suæ naturali virtuti adæquatis; possunt tamen plures Angeli esse in eodem loco materiali, non vero formali adæquato, & per modum causæ principalis. Insuper possunt Angeli motu locali, tum cōtinuo, tum discreto moveri: neutro tamè motu in instanti. Sicut transire de extremo ad extremum, impertransito medio, in motu discreto, non vero in continuo.

XXVII.

Essentia Angeli, quamvis non possit comparari ad intellectum ejus, ut actus ad potentiam in essendo; comparatur tamen ad ipsum ut actus ad potentiam in intelligendo, inquit D. Thom. q. 8. de verit. art. 6. ad 2. Igitur in cognitione, qua Angelus suam substantiam cognoscit, ipsa Angeli substantia munus speciei, & obiecti intellectum determinantis præfert. Tam Deum, quàm se ipsum, accidentiaque sibi connaturalia, minimè supernaturalia, per suam substantiam cognoscit, sed alia à se, non nisi per species superadditas intelligit: Non à rebus sensibilibus habitæ, vel à rebus immaterialibus acceptæ, sed quæ sint à Deo ipsi in creatione ejus infusæ; tantoque species, qua utitur Angelus, erit universalior, quanto fuerit Angelus in natura perfectior. Angelus semper, ac necessario in actu secundo se ipsum, & Deum cognoscit, ea, quibus est destinatus continuo videt, sed plura, ut plura intelligere non valet. Non intelligit componendo, aut dividendo, neque discursu formali, sed simplici apprehensione. Angelus inferior propria, & nativa virtute non potest superiorem comprehendere, neque futura omnino libera, & contingentia certò prænosse. Præditus est voluntate, & libero arbitrio, sed se ipsum, & Deum auctorem naturæ amat necessario. Creati fuerunt in beatitudine naturali, sed supernaturali minimè. Necessaria fuit illis gratia actualis, ut converterentur ad Deum auctorem supernaturalem; & licet ab initio omnes gratiam justificantem fuerint adepti, non nisi per propriam dispositionem sunt affecti. Ex Angelis, qui steterunt, de facto beatitudinem inruerunt; idque prius tempore, quam eam fuissent adepti. Hinc via bonorum Angelorum in duobus instantibus apparet completa, sed malorum non nisi in tribus videtur consummata.

F

XXVIII.

XXVIII.

Ecce qui *serviunt ei, non sunt stabiles; & in Angelis suis reperit pravitatem*, inquit Job. 4. v. 18. igitur licet Angeli directè, & immediate contra finem naturalem peccare non possint, natura tamen sua non sunt simpliciter impeccabiles, cum de facto in plurimum voluntatem peccatum irreperit. Primum Luciferi peccatum fuit superbia, & primo peccavit, quia appetijt ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei. Vel si appetijt, ut ultimum finem illam Dei similitudinem, quæ datur ex gratia; voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex divino auxilio, secundum Dei dispositionem. Angelus in primo suæ creationis instanti propria voluntate non solum non peccavit, verum nec potuit. Supremus inter Angelos peccantes, fuit supremus inter omnes; nec illius peccatum aliorum peccati causa fuit cogens, sed solum inducens, & suadens. Unus Angelus vere alium illuminat, in quantum veritatem, quam ipse cognoscit, ei manifestat; & rursus unus Angelus alteri loquitur per voluntariam, & liberam ordinationem sui conceptus ad illum.

XXIX.

Sunt enim *Olympici Dynasta, & Empyrea domus purpurati, præfecti Universitatis, & rerum omnium creatarum præsules, quibus dominans in nobis Deus, & supremus Imperator dedit hominum, atque omnium, quæ sub Cælo sunt, curam, & providentiam*, inquit Justinus lib. de anim. cap. 37. Hinc Angelorum Universitatem in tres Hierarchias partimus, novemque Angelorum choros, seu ordines assignamus. Hi sunt: *Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, Angeli*. Horum ordinum tres primi componunt primam Hierarchiam, tres secundi mediam, tres verò postremi ultimam. Nec de lege ordinaria, nec extraordinaria Angeli quatuor priorum ordinum ad exteriora ministeria exercenda mittuntur, sed solum Angeli ordinum inferiorum. Sed cum *unaqueque res visibilis in hoc mundo*, teste Augustino lib. 83. quæst. q. 79. *babeat potestatem Angelicam sibi præpositam*, pro comperto habemus, non solum toti Ecclesiæ Catholi-

tholicæ, singulis Regnis, ac Provincijs etiam infidelium, singulisque hominibus, sive fidelibus, sive infidelibus singulos Angelos in Custodiam deputari, sed & cuilibet rerum materialium generi, imò, & speciei proprium, ac determinatum Angelum præfici. Angelica Custodia particularis hominis abs dubio incipit à nativitate ex utero Matris.

DE OPERIBUS SEX DIERUM
XXX.

Arduum quidem, atque difficillimum est viribus intentionis nostræ, (inquit Augustinus lib. 4. de Trinit.) voluntatem scriptoris in istis sex diebus, quos describit Moyses, mentis vivacitate penetrare, utrum præterierint dies illi, & addito septimo, nunc per volumina temporum repetantur; an omnia simul, & in eodem temporis instanti Deus condiderit. Nihilominus secundum quod captum nostræ imbecillitatis permitit, & coherenter ad ea, quæ scriptura, & Patres nos docent, sex illi dies, quibus narrat Moyses, Deum Mundi hujus Machinam patrasse, cunctaque numero, pondere, mensura, & decore perfecisse, fuerunt veri, & naturales dies, non solum naturæ ordinem importantes, sed etiam temporis, & durationis ordinem includentes. Primæ igitur diei opus describens Moyses, inquit Gen. 1. *In principio* idest in initio temporis creavit, hoc est ex nihilo fecit Deus, idest solus Cælum, non solum supremum, seu Empyreum, sed omnes Orbes Celestes, & terram, idest elementarem, seu quatuor elementa. *Terra autem*, (quæ nunc visibilis apparet,) erat, *inanis, & vacua*, non quia fuerit ab omni forma substantiali absoluta, sed quia nondum suis foetibus, plantis, & animalibus decorata. *Et tenebræ erant super faciem abyssi*, non quia omnia à terra usque ad Cælum aquis illis crassioribus fuissent plena, sed quia supra illas infra Cælum fuit corpus diaphanum, luce nondum creatà, tenebrosum. *Et spiritus Domini*, idest Spiritus Sanctus ferebatur super aquas, idest confovebat, seu naturam aquæ ad foeturam preparabat. *Dixit que Deus*, non vocis sono, sed efficaci suæ mentis imperio, *fiat lux, & facta est lux*; substantia videlicet solis habens virtutem illuminativam in communi. Luce producta, & approbata, *divisit Deus lucem à tenebris*. Non quia prius lux ita mixta esset tenebris, quod indigeret ab illis separari; sed quia eo ipso quo lux est facta, etiam divi-

fio

sio inter lucem, & tenebras est consecuta. Hinc lucem, quæ tenebras fugavit, appellavit diem, & tenebras noctem. *Factumque est vespere, & mane dies unus*; dies scilicet naturalis, qui luce, & tenebris conflatur, seu qui spatio viginti quatuor horarum absolvitur.

XXXI.

Fiat Firmamentum in medio aquarum: Et dividat aquas ab aquis. Prosequitur Moyse, Gen. 1. v. 6. opus secundæ diei describens. Nomine *firmamenti* intelligimus spatium illud pro illa parte, qua illam aeris regionem complectitur, in qua nubes condensantur. Unde aquæ, quæ super Cœlos sunt, nimirum aquarum terrestrium vapores tenuissimi, qui postea in nubes condensati, pluviam efficiunt, rectè intelliguntur esse eiusdem rationis, seu speciei cum elementaribus. Hinc facile explicatur, qua ratione firmamentum, idest aer, dividat aquas ab aquis; quia vapores, seu nubes, quæ super firmamentum volitant medio aere dividuntur ab aquis, quæ in terris fluitant. = Opere secundæ diei absoluto, separatis quæ aquis superioribus ab inferioribus, cum aquæ inferiores undequaque terram cooperirent, ac inundarent, quæpropterea invisibilis adhuc erat, & incomposita; volens Deus terram apparere, & præparare, ut congrua esset hominum habitatio, iussit, aquas congregari in locum unum, & à terra recedere, ac deinde terram germinare herbas, & plantas. *Dixit vero Deus Gen. 1. v. 9. congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, in locum unum, & appereat arida :: Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum.* Cujus imperium ita opere impletum est, ut non solum aquæ illico in terræ cavitates, quibus Maria continentur; vel meatus Subterraneos, quibus Maria invicem commnicant; vel in terræ superficiem, ad quam irrigandam, aquæ decurrunt, fuerint congregatæ; sed etiam terra statim omnes herbarum, & plantarum species, easque adultas, & vel omnes, vel saltem aliquas cum maturo fructu, actu protulerit.

XXXII.

Fiant luminaria in firmamento Cœli, & dividant diem, ac noctem, &c. Inquit Moyse Gen. 1. v. 14. quartæ diei opus describens. Hæc lumina, per quæ Solem, Lunam, & Sy-

Sydera intelligimus, non sunt hac die quoad substantiam producta, sed per accessionem formæ accidentariæ, & per collationem determinatæ virtutis ad determinatos effectus effecta. Recte igitur quarta die dicuntur facta quia tunc eis data est lux, & virtus in ea perfectione, quam nunc habent, & quam eorum conditio postulat, & exigit. = Quinta die pergit Moyses Gen. 1. v. 20. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram, &c.* Nomine reptile pisces intelliguntur, quia ut colubri in terra repunt, ita pisces in aquis; nomine vero volatile intelliguntur aves, quæ sunt velut quidam pisces aeris, aerem findentes, & alis suis per aerem velut natantes. Cur autem tam aves quam pisces fuerint productæ ex aquis? Si opus fuerit, faciam satis. = Sexta autem die animalia terrestria, & homo producta sunt. Ita Moyses Gen. 1. v. 24. *Dixit quoque Deus, producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, &c. :: faciamus hominem ad imaginem, &c.* His, omnibus perfectis, quæ ad creationem, formationem, & ornatum mundi pertinent, dixit Moyses Gen. 2. v. 2. *Deus, requievit die septimo ab universo opere quod patrarat, idest cessavit à novis creaturarum speciebus producendis, non tamen ab opere, quo, vel creaturam conservat, vel universam creaturam administrat.*

DE FORMATIONE PRIMI HOMINIS.

XXXIII.

Construendum enim prius, tamquam Regi, palatium erat, atque ita Rex introducendus omni jam suo satellitio stipatus, præfatur Natianzenus orat. 43. Creatis igitur una cum terra Coelis, hisque suis luminaribus ornatis, divis; & congregatis aquis, terra plantis vestita, animalibus productis, absolutisque omnibus ad rerum creationem, ac Mundi opificium spectantibus: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terra, inquit Moyses Gen. 2. v. 7. & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Quasi diceret; homo, quem Deus formavit ex limo, fuit corpore, & spiraculo vitæ constans, & ita factus est homo in animam viventem. Unde anima primi hominis non fuit ante corpus creata, sed simul cum corpore producta. Non est aliquid de substantia Dei, sed à Deo per creationem effecta primo homini fuit infusa. Nec posterorum Adæ anima per generationem traducitur, sed verè à Deo creatur. Anima

G

homi-

hominis est immortalis, & incorruptibilis, in se prorsus spiritalis, & corporis, seu materiae omnino expers. Homo factus est ad imaginem Dei, in quantum ejus anima, una existens, & tribus facultatibus praedita, Divinarum Personarum Trinitatem in unitate essentiae adumbrat. Quae de productione mulieris ex costa Adami Gen. 2. à v. 21. narrat Moyses, in sensu historico, litterali, & proprio debent intelligi: Unde sopor à Deo in Adam immixtus, fuit verus, & naturalis somnus quantum ad essentiam, licet non fuerit naturalis quantum ad causam. Et ita ex Adamo dormiente, Deus unam de costis ejus tulit, & ex illa per additionem novae materiae conversae in ipsam aucta, corpus mulieris formavit. Nullus homo ante Adamum fuit formatus, sed ipse est omnium hominum simpliciter primus.

DE PARADISO TERRESTRI.
XXXIV.

Quae commode dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur; dum tamen, & illius historia fidelissima veritas rerum gestarum narratione commendata dicatur, dixit Augustinus lib. 13. de Civit. Dei cap. 21. Igitur Paradisus à Moyse Gen. 2. à v. 8. descriptus, fuit quidam specialis locus corporeus, in certa quadam orbis regione constitutus, & non tota terra, seu totus Orbis. Sed cum in parte Orientali fuerit collocatus, in confinibus Mesopotamiae, Armeniae, & Arabiae Orientalis situm fuisse, sustinemus, atque nunc non extare propugnamus. Non fuit ita situ depræfusus, ut in aliqua planitie, aut valle constiterit; nec ita sublimis, ut ad secundam aeris regionem accesserit. Et licet Adamo, & Heva non peccantibus Paradisus fuerit ipsorum locus proprius, non tamen irrationalia adeò essent ab eo prohibita, quin possent in illum se transferre Adami imperio advocata. Arbor vitae, cujus Moyses Gen. 2. v. 9. mentionem facit, non tribuebat corpori immortalitatem simpliciter, sed solum aliquo modo. Arbor pariter scientiae boni, & mali fuit sicut caeterae arbores, nec ejus fructus ingenerandi scientiam vim habuit, sed ab eventu nomen, & appellationem accepit.

)) (✕) ((

De

DE STATU HOMINIS INNOCENTIS.
XXXV.

Quid enim (ait Bernard. Serm. 2. de Annunciat.) illi de-
erat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, rege-
bat justitia, pax fovebat? Qui erat Paradisi accola, ter-
ra dominus, Cœli civis, domesticus Domini, frater Beatorum spi-
rituum, & cœlestium coheres virtutum. Quamvis igitur primus ho-
mo ex quo è manu Dei exivit, his alijsque prærogativis à
Deo conditore fuerit ornatus, nihilominus secundùm commu-
nem statum illius vitæ innocentis nec Deum, nec Angelos cla-
re, & per essentiam vidit; altiorem tamen de Deo, quam nos
habeamus, cognitionem habuit, clariusque quam nos Angelos
cognovit. Omnium rerum, quas naturaliter homines possunt cog-
noscere, cognitionem fuit adeptus; sed supernaturalium, quanta
necessaria erat ad suæ, & aliorum vitæ spiritualis regimen, fuit
assecutus. In primo suæ conditionis instanti gratiam sanctifican-
tem accepit, sed non nisi per propriam dispositionem. Justitia
Originalis collata primis Parentibus fuit donum supernaturale.
In statu innocentia tam justitia originalis, quam gratia sancti-
ficans transfusæ fuissent in posteros; qui licet justitia, & gra-
tia nascerentur præditi, non tamen in gratia confirmati. Pueri
in statu innocentia non nascerentur perfecti in scientia, sed
eam processu temporis absque difficultate acquisivissent, inve-
niendo, vel addiscendo. Nec pariter perfecto usu rationis gau-
derent, sicut habituri erant in perfecta ætate; habuissent ta-
men perfectiorem quam nunc quantum ad ea, quæ ad eos
pertinebant, quæque status illorum postulabat. Si homo in sta-
tu innocentia perseverasset, immortalis fuisset; nec tamen im-
mortalitas esset ei naturalis, quasi consequens naturam spe-
ciei, sed ex gratia conditoris; qui hoc homini indulxit, ut
quandiu non peccaret, immortalitate vigeret. Et quamvis pro
illo statu cibus indigeret, non esset passibilis passione remo-
vente ipsum à sua naturali dispositione, nec quantum ad ani-
mam, nec quantum ad Corpus. Fuisset pariter vera generatio
per carnalem conjunctionem, seu congressum maris, & feminæ,
nascerenturque homines in infantili ætate. Hinc inter ipsos ali-
qua inæqualitas, & quantum ad corpus, & quantum ad ani-
mam esset admittenda, neque aliqua species superioritatis, &
dominij civilis, & liberi repudianda.

D

DE TENTATIONE, ET LAPSU PRIMORUM PARENTUM.
XXXVI.

DEus reliquit hominem in manu consilij sui, habetur Ecclesiastici 15. Igitur conveniens fuit, ut Deus permitteret, primum hominem à Demone tentari, ut sic arbitrij creati infirmitatem manifestaret, quidque ex se posset, & si gratia sufficiente instructum ostenderet. Diabolus itaque ad Paradisum accedens, organoque veri serpentis utens, primo mulierem seduxit, deinde per mulierem jam victam virum tentavit, & ita de ambobus triumphum accepit. Adamus colloquio serpentis cum Heva non interfuit: Unde non fuit eo modo, quo Heva seductus, sed quodammodo superbia deceptus, fuit in apertam inobedientiam prolapsus. Solus usus de fructu arboris scientiæ boni, & mali, non autem ejus tactus, aut visus à Deo fuit primis Parentibus interdictus; ipsorumque primum peccatum, quod fuit radix aliorum, fuit superba elatio, in quantum appetierunt divinam similitudinem per imitationem, ut acquirendam viribus suæ naturæ, & non per auxilium gratiæ. Conditio status innocentiae talis erat, quod tali statu durante, nullo modo posset homo peccatum veniale committere.

DE POENA, ET POENITENTIA PRIMORUM PARENTUM.
XXXVII.

EGO quidem cum in hunc te mundum produxi, volebam, te degere absque doloribus, laboribus, sudoribus, & ærumnis, & omni felicitate frui, neque corporalibus necessitatibus obnoxium esse, sed ab omnibus illis vacuum in omni libertate versari. Quia vero non profuit tibi tanta securitas, ea propter, & terra molemicam; ita ut absque satione, & aratione, non proferat suos fructus, sicut antea: Sed cum multo labore, molestijs, & ærumnis afficiam te doloribus, & continuis fatigationibus. Ita Chrysostomus in Persona Dei homil. 17. in Gen. Adamum alloquitur. Lapsus igitur, quo per peccatum à status innocentie foelicitate malè cauti Parentes primi deciderunt, multa mala sunt committata, & ab ipsis in totam posteritatem propagata. Hinc Hevam, ac foeminas ei successuras triplici poena mulctavit Dominus, nempe multiplicatione ærumnarum in multitudine conceptuum, dolore in partu, & subiectione viro, ejusque potestati. Triplex etiam poena Adamo fuit inflictæ, videlicet maledictio

dictio terræ in opere suo, germinatio spinarum, & quod labore suo, & sudore vesceretur pane. Præter has ærumnas, quibus Deus Adamum, & Hevam specialiter mulctavit, aliæ subsequutæ sunt poenæ Adamo, Hevæ, ejusque posteris communes. Talis fuit justitiæ originalis privatio, necessitasque moriendi. Poenæ insuper, quibus primi Parentes mulctati à Deo fuere, aliademum subsequuta est, ejectio nempe utriusque è Paradiso Terrestri, (in quo uno tantum die commorati) ad ipsum in perpetuum reditus eis est interdictus. Adamus è Paradiso ejectus eam regionem incoluit, quæ postea Palæstina, seu Judea dicta est; in qua Adamus, & Heva per multos annos pænitiæ dediti, & de suo peccato veniam à Deo consecuti, salutem tandem æternam per Christum sunt adepti.

DE STATU HOMINIS LAPSI, SEU ORIGINALI PECCATO.
XXXVIII.

PER unum hominem (inquit Apost. ad Rom. 5. v. 12.) peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Est ergo dogma Catholicum, dari peccatum originale ab Adamo in posteros generatione transfusum. Est quidem voluntarium voluntate capitis, seu voluntate contenta moraliter in capite. Anima vitium, & peccatum contrahit ex parte corporis, cui infunditur, ita ut ab eo tanquam à vase corrupto, & vitiato, corruptionem, & vitium contrahat. Nec Adam, nec ejus peccatum, nec semen ab Adam descendens reali, propria, & physica actione efficiunt peccatum originale in posteris; nec sunt causa demeritoria peccati originalis, benè tamen moralis; taliter, quod licet semen sit instrumentum Physicum ad traducendam naturam, ad traducendum tamen peccatum originale est instrumentum solum morale. Originale peccatum veram, & propriam habet rationem peccati, univocè convenit cum peccato actuali; & unicuique inest proprium antequam renascatur. Peccatum Adæ, quod fuit primum, illud est ex quo in Posteros peccatum originale deribatur: Unde per quodcumque aliud peccatum, quod fuisset primum, etiam si non fuisset vetita comestio, ab Adamo in posteros injustitia, & peccatum de facto traduceretur: Unde solum primum Adæ peccatum traducitur, non vero alia, vel ipsius, vel proximorum Parentum. Si quis materialiter tantum de Adamo formaretur, & via generationis ex Adamo non procederet, peccatum

H

tum

tum non traheret. Adamo non peccante, benè verò Heva, filij non contraherent originale peccatum, sed si Heva innocente Adamus peccasset, contingeret opositum. Postremó, Adamo, & Heva non peccantibus, si aliquis posterorum peccasset, peccatum in posteros non transmisisset. Peccatum originale constitutivè, & formaliter nec in morbida qualitate, nec in reatu poenæ, nec in conversione habituali ad creaturam ponimus, sed unicè in privatione justitiæ originalis quantum ad ejus effectam primarium, qui erat perfecte mentem Deo subicere, statuimus. Non in carne, sed in anima subiectatur, priusque in ipsa, quam involuntate, ejusdemque alijs potentijs recipitur. Sed cùm peccatum primi Parentis, non solum humanam naturam, eam spoliando supernaturalibus donis, infirmaverit, sed ulterius eam in pluribus fauciam, seu ægram reliquerit, imò effecerit: Plura sunt vulnera, quæ tam intellectus, quam voluntas ex primi Parentis peccato contraxere. Inter illa, non minorem videtur obtinere locum, Adami libero arbitrio vulnus inflictum, quod licet non penitus extinxerit, valde tamen ipsum attenuavit, vel diminuit. Parvuli cum solo originali decedentes, licet poena damni puniantur, non tamen poena sensus, dolore, aut tristitia aliqua afficiuntur; nec propterea post diè judicij beatitudinè naturalé assequètur.

DE STATU NATURÆ PURÆ.

XXXIX.

Poterat Deus à principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione naturæ suæ relinqueret, ut scilicet mortalis, & passibilis esset; & pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens; in qua nihil humana naturæ derogaretur, quia hoc ex principijs naturæ consequitur, dixit Angelicus Thomas in 2. dist. 31. q. 1. art. 2. ad 3. Igitur potuit Deus, etiam ut providens singulis secundum suam naturam, & præcisa quacumque culpa, primum hominem condere, imò & totum genus humanum in statu naturæ puræ creare, non solum absque omni ordine ad gratiam, gloriam, beatitudinem supernaturalem, & quodcumque illius ordinis auxilium; sed etiam absque dono integritatis, & immortalitatis, sive cum inclinatione rebelli partis sensitivæ adversus rationem, & cum necessitate moriendi. Nec tamen in illo statu rebellio appetitus ad rationem, ignorantia, morbus, mors, alijsque corporis defectus culpæ aut poenæ induerent notam, cū tantū essent defectus consequentes naturā.

EX

EX PRIMA SECUNDÆ
DIVI THOMÆ.

DE ULTIMO FINE.

XL.



*S*ICUT se habet principium in speculativis, ita ultimus finis in operabilibus, celebre fuit Philosophi affatum 2. Physic. Primus ergo vitæ moralis gressus est amor finis, cui se voluntas devet consecrare. Et hinc non solum homini convenit agere propter finem, sed etiam Deus dum ad extra operatur, omnia operatur propter suam bonitatem tanquam rationem finalem; in actionibus vero necessarijs, sive essentialibus, sive notionalibus nullomodo. Omnes actiones humanæ sunt propriè, & strictè propter finem, & illius effectus, sed delectatio, & fruitio nullatenus. Intermedia, intrinsecam bonitatem habentia, in ratione finis sunt collocanda. Sed quia contra rationem finis est, quod procedatur in infinitum, necesse est ponere in homine aliquem ultimum finem, circa quem actu, vel virtute versetur, quoties liberè, & humano modo operatur; sed duos ultimos fines totales, & adæquatos simul efficaciter appetere, est ei omnino impossibile.

DE BEATITUDINE.

XLI.

*I*AM (ajebat Augustinus serm. 150. olim tract. de Epicureis, & Stoicis cap. 7.) *Constitutis ante oculos nostros tribus, Epicureo, Stoico, Christiano, interrogemus singulos. Dic Epicure: qua res facit beatum? Respondet, voluptas corporis. Dic Stoic-*

Stoice ; virtus animi. Dic Christiane : donum Dei. Igitur, ut cum Christiano Catholicè loquamur, in nullo bono creato, sivè divivè, sivè collectivè sumpto, sed in solo Deo possesso vera hominis beatitudo obiectiva consistere potest. Nec foret homo perfecte beatus, si per impossibile Deus ut unus, & non ut trinus videretur. Beatitudo nostra formalis non consistit in lapsu divinitatis, nec in visione Dei beato unita, nec in accione divina ipsi communicata; nec actus intellectus, & voluntatis ex æquo concernit, sed unicè actum intellectus agnoscit. Beati sunt impeccabiles ab intrinseco, radixque hujus impeccabilitatis est visio clara Dei in se. Beatitudo perfecta ab intrinseco petit perpetuitatem: Et quia est plena assecutio ultimi finis adæquate satiati appetitus; & quia est visio Dei. Ita Beati necessitantur ad amandum in exercitio Deum, quod ab ejus amore cessare non possint; & hoc, quia eum esse summum bonum, clare vident. Tres sunt dotes animæ beatæ, visio scilicet, comprehensio; & delectatio; corporis vero gloriosi quatuor, impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas. Beatorum aureola est accidentale gaudium, quod beati percipiunt ex victoria, quam per aliquam particularem virtutem reportarunt. Triplex aureola assignari solet, Martirum scilicet, Virginum, & Doctorum.

DE VOLUNTARIO, ET INVOLUNTARIO.
XLII.

P*Principium intrinsecum* (inquit D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 1. ad 1.) *voluntarij actus, quod est vis cognoscitiva, & appetitiva, est primum principium in genere appetitivi motus, quamvis moveatur ab aliquo exteriori secundum alias species motus.* Voluntarium igitur sic optimè explicatur: *Quod est à principio intrinseco cum cognitione finis.* Maxime in actibus humanis reperitur, nec per brutorum operationes aliququaliter divagari, de dignatur. Voluntarium necessarium ex perfectione cognitionis est perfectius, & magis voluntarium, quam voluntarium liberum; unde perfectum voluntarium, & formaliter liberum non coincidunt. Ut omisio non solum sit voluntaria, sed etiam imputabilis ad culpam, sine dubio requiritur obligatio, & præceptum: ut autem solum sit voluntaria non solum physicè, sed moraliter, non requiritur obligatio, & præceptum; ipse autem effectus ex omisione secutus non est voluntarius, nisi stante præcepto, & obligatione: Nec potest dari omisio voluntaria culpa-

culpabilis in indibiduo finè actu præcedente, aut concomitante, qui sit causa, vel occasio omittendi. Violentia involuntarium causat; & licet voluntas quoad actus ab ipsa imperatos, per aliam potentiam exercendos, violentiam patiat, quoad actus imperatos, & ab ipsa eliciendos à violentia absolvitur. Ea, quæ fiunt ex metu, voluntaria sunt absolutè, & simpliciter, involuntaria vero solùm secundum quid, & conditionate: Unde jure naturali contractus ex metu celebrati, non sunt irriti; jure autem positivo aliqui contractus, & actiones factæ ex metu, quando metus est gravis, & injuriosus; irriti sunt. Concupiscentia antecedens potius facit voluntarium, quam involuntarium, imò facit aliquid esse magis voluntarium. Ignorantia concomitans non causat voluntarium, nec involuntarium, sed non voluntarium; consequens vero, sive sit affectata, sive non; sive sit juris, sive facti, seu malæ electionis, causat voluntarium simpliciter, & involuntarium solùm secundum quid: ac demum, ignorantia pure antecedens, & verè invincibilis, sive facti, sive juris causat involuntarium simpliciter, & excusat à culpa.

XLIII.

TOTA ergo libertas arbitrij (dixit Tertulianus lib. 2. contra Marcionem cap. 6.) in utramque partem concessa est illi; (Homini) ut sui dominus constanter occurreret, & bono spontè servando, & malo spontè vitando. Igitur homo nedum in statu innocentia perfectæ arbitrij, & indifferentia libertate fruebatur, sed etiam in statu naturæ lapsæ libertate indifferentia, seu à necessitate potitur. Hinc, ut actus nostri sint boni, vel mali moraliter, seu laudabiles, aut vituperabiles, meritorij, vel demeritorij, non sufficit libertas spontaneitatis, seu libertas à coactione; sed requiritur libertas indifferentia, seu libertas à necessitate. Sola indifferentia contradictionis, & exercitij est de essentia libertatis, & perfectio ejus; indifferentia vero contrarietatis, seu quoad specificationem, ad bonum scilicet, & malum, quæ uno verbo est potestas peccandi, est imperfectio, & defectus libertatis in quocumque statu consideretur. Radix libertatis consistit in judicij indifferentia circa aliquod objectum: Unde stante hujusmodi indifferentia in intellectu, fieri non potest, ut voluntas non remaneat libera; ut tamen voluntas de facto libere eligat, præter judicium indifferens, necessario requirit judicium practicum determinatè ei proponens hoc, vel illud hic, & nunc

nunc esse eligendum. Nec est contra naturam, imò conforme, & consentaneum naturæ voluntarij liberi creati, quod ut agat, physicè præmoveatur à Deo.

DE ACTIBUS HUMANIS.

XLIV.

ACTUS humanus, (inquit D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 8.) qui dicitur moralis, habet speciem ab obiecto relato ad principium actuum humanorum, quod est ratio. Hinc Moralitas actus non consistit in denominatione extrinseca à lege, sed in habitudine intrinseca actus ad obiectum rectæ rationi conformiter, vel diformiter comparatum; quæ quidem habitudo non relatio rationis, sed realis est transcendentalis, non prædicamentalis. Duæ sunt Moralitatis regulæ, extrinseca una, & remota, nempe lex Æterna: Intrinseca alia, & proxima scilicet humana ratio. Tria sunt Moralitatis principia, nempe obiectum, circumstantiæ, & finis. Actus humanus primam, & specificam bonitatem sumit ex obiecto, non quidem in esse rei, & physicè considerato, sed in esse morali, & ut consonat, vel dissonat rationi. Et interdum ultra bonitatem, & malitiam, quam sumit ex obiecto, habet aliam ex fine operantis. Quot, & quæ sint moralitatis circumstantiæ? Si opus fuerit, non renuam exponere. Interim præ oculis habe, actus humanos, etiam internos, aliquam bonitatem, vel malitiam moralem ex circumstantijs sumere. Actus ex obiecto bonus, sed ex fine, aut circumstantijs malus, totus fit malus; ita, quod malitia finis, aut circumstantiarum omnem ejus moralem bonitatem penitus destruit; potest tamen unus, & idem actus simul habere duas species bonitatis; vel malitiæ, unam ex obiecto, aliam ex fine. Dantur actus humani ex obiecto, & specie sua in esse moris indifferentes, idest, nec determinatè boni, nec determinatè mali moraliter; sed hoc in indibiduo ponere, absdubio judicamus impossibile. Quando intentio boni finis per se influit in pravam electionem, ab ea vitiatur: Secus tamen si per accidens tantum, & ex malitia eligentis cum ea coniungatur; & licet intentio boni finis à prava electione malitiam non auferat, ipsam tamen minorat.

Da

DE CONSCIENTIA HUMANA,

XLV.

NOMEN *conscientia* (inquit D. Thom. q. 17. de verit. art. 1.)
Significat applicationem scientia ad aliquid : Unde conscire di-
citur , quassi simul scire. Hinc conscientia , teste ipso Ang. Præ-
cep. 1. p. q. 79. art. 15. optime explicatur : Judicium , seu
actus intellectus , quo aliquis applicat suam scientiam practicam,
seu dictamen rationis ad aliquid agendum. Ex parte obiecti , in
rectam seu bonam , & in non rectam , seu malam partitur ; ex
parte vero assensus in certam , probabilem , dubiam , scrupulosam,
& erroneam secatur. Ex eo enim dicitur recta , quod secundum
rectam rationem dicitur ; Nec ut talis sit , voluntas nostra in
volito materiali semper divinæ conformari debet , imò ut con-
tra illud faciamus , aliquando oportet. Qui contra conscientiam
sivè rectam , sivè erroneam operatur , semper peccat ; Con-
scientiaque erronea , licet vincibilis , ad eam sequendam etiam
obligat : & licet erronea invincibilis excuset à peccato , vinci-
bilis nullomodo. Contra dubium , quod est solum speculativum,
& in universali aliquando agere licet ; sed contra practicum,
seu conscientiam dubiam operari , minimè valet. Sed si quis con-
scientia dubia agitari contigerit , quo se vertet ? si nulla sit ei
necessitas operandi absteineat ab opere. Si necesse sit operari , &
alterutram partem eligere ; diligenter inquirat , vel rationes pon-
derando , vel libros , aut viros doctos consulendo , utra sit ve-
ra , utra falsa ; & secundum ea , quæ invenerit , deponat du-
bium : quo deposito , in eam partem declinet , in quam se re-
solverit ; quod si omnibus benè perpensis pro utraque dubium
persistat , nec possit deponi , & necesse sit agere , alterutram
partem eligendo , sequi oportet partem tutiorem ; & si neu-
tra fuerit tuta , minus periculosa est eligenda. Accedente illa
juris regula : In dubijs tutior &c. verosimilius est , quod cum con-
tingit , utramque dubii partem esse in praxi tutam , non sit
semper necessarium ex precepto eligere eam , quæ est tutior. Opinio
illa est verè , & tutè in conscientia probabilis , quam homo
sequens prudenter operatur. Non licet sequi opinionem minus
probabilem , & minus tutam , quando in conspectu probabilis
evadit improbabilis , & non tuta : & hoc apparet operanti , vel
ratione , vel auctoritate : sicut nec sequi opinionem minus tu-
tam in occurso tutioris , quando opinio tutior representatur
 ope-

operanti, ut manifeste probabilior; & maxime, si opinio minus tuta favet libertati, tutior vero stat pro lege.

DE VIRTUTIBUS, ET DONIS.
XLVI

UT corporea pulcritudinis norma membrorum apta proportio est; ita etiam extrema spiritualis pulcritudinis linea in virtutum mediocritate consistit; aiebat Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 113. Pulcra igitur virtus est in specie qualitatis, quæ est habitus. Optima est virtutis definitio tradita à D. Thom. 1. 2. q. 55. art. 4. *Bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, & qua nullus malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quam definitionem, & infusis, & acquisitis virtutibus (si ultima verba demis) optimè adaptare vales. Virtus humana est in intellectu, voluntate, & appetitu sensitivo, ut per rationem regulabili, tanquam in subiecto. Dari in justis, præter virtutes Theologicas, etiam virtutes morales per se infusas, conformius est scripturæ, Patribus, Concilijs, & rationi Theologicæ. Virtutes morales consistunt in medio rationis tantum; sed iustitia cum suis partibus, in medio rei, & rationis simul. Virtutes verò Theologicæ per se non consistunt in medio, sed solum per accidens, & ex parte nostri. Virtutes morales per se infusæ in esse perfecto ita sunt ad invicem, & cum charitate connexæ, ut qui una careat, nullam perfectè possideat. Charitas non potest esse sine fide, & spe, licet fides, & spes esse possint sine charitate: quamvis sine charitate sint informes, nec habeant rationem perfectæ virtutis. Admittenda sunt dona Spiritus Sancti, quæ sunt habitus, quibus disponitur homo, ad promptè ipsi obediendum. Verè à virtutibus infusis, sive Theologicis, sive moralibus distinguntur; septemque dona Spiritus Sancti meritò numerantur.

DE JUSTIFICATIONE IMPII.
XLVII.

UNICA formalis causa (inquit Conc. Trident. Sess. 6. cap. 7. causas justificationis enumerans,) est iustitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua justos nos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justis nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositio-

sitionem, & cooperationem. Igitur homo non justificatur formaliter per iustitiam Christi fide apprehensam, ac sibi imputatam; sed per iustitiam ex iustitia, & meritis Christi in se derivatam, ac sibi intrinsecè inhærentem: Unde sola Dei extrinseca condonatio insuficiens reputatur, ut homo lapsus justificetur. Hinc de facto sola gratia habitualis est causa formalis justificans, etiam extra sacramentum, non vero actus contritionis, vel charitatis; qui, nec de potentia Dei absoluta fieri potest, ut hominem formaliterificent. In impij justificatione peccata mortalia sic remittuntur, ut penitus auferantur, ac deleantur; nec quidquam remaneat, quod culpæ, vel peccati mortalis rationem obtineat. Gratia habitualis, & peccatum mortale, ita videntur contrariari, quod nec de potentia Dei absoluta possint simul componi; sicut nec unum mortale, ceteris non remissis, remitti. Homo adultus per motus liberi arbitrij divino auxilio moti, & excitati debet se disponere ad justificationis gratiam acquirendam. Hujusmodi autem dispositio primò fit per fidem, quæ non est fiducia, neque notitia sive perfecta, sive imperfecta rerum propositarum per fidem: Sed est assensus quem præbet intellectus rebus propositis, & revelatis. Et licet fides sit quidem initium, radix, & fundamentum justificationis, non tamen sola hominès ad iustitiam perducit, sed alij actus non purè concomitanter, sed per se, & formaliter requiruntur.

Tales sunt Timor Dei vindicis, qui salutaris est, spes veniæ, & dilectio Dei, taliter, quod si justificatio obtinenda sit extra Sacramentum, dilectio Dei amicitia, seu benevolentia requiratur, si vero per Sacramentum sit obtinenda, dilectio, quæ fit concupiscentia, sufficiat.

DE MERITO JUSTI.
XLVIII.

A *Bundate in omni opere bono, (præfatur Apost. i. Corint. 15. v. 58. opera meritoria commendans, per quæ digni evaderent, ut à Deo Æternæ gloriæ præmium acciperent.) Scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Meritum igitur describitur: Actus liber bonus in obsequium præmiantis elicitus. In congruum, & condignum rectè partitur. Opera iustorum sunt verè de condigno meritoria, etiam vitæ æternæ,*
K
tali-

taliter, quod retributio gloriæ ex meritis sit actus veræ iustitiæ distributiæ; non puræ fidelitatis, aut gratitudinis: Unde fiducia Sanctorum non ex fide sola, sed ex meritis per Christum comparatis nascitur; quin ex hoc detur occasio de suis bonis meritis superbiendi, sed potius se coram Deo humiliandi, & quantum confidit de Dei gratia, tantum diffidendi de se ipso. Cum per bona opera primò quærat gloria Dei, & deinde merces foelicitatis Æternæ, licitum est operari bona opera intuitu mercedis æternæ. Sex conditiones requiruntur, ut actus sit meritorius coram Deo vitæ æternæ. Tres ex parte actus meritorij. Duæ ex parte hominis merentis, & ultima ex parte Dei præmiantis. Ut actus sit meritorius debet esse liber libertate indifferentiæ, debet esse actus formalis, & positivus, bonus, & laudabilis, & in obsequium Dei. Ex parte personæ merentis status viatoris requiritur, & quod persona merens sit in gratia, & charitate, sicquidem meritum principaliter pertinet ad charitatem, secundario vero ad alias virtutes, ut à charitate imperantur, undè non est actus alicujus virtutis. Imperium charitatis ad meritum requisitum non est ordinatio habitualis, sicquidem hæc non sufficit; nec ordinatio actualis, ut potè hæc non requiritur; sed necessario importat connexionem aliquam sive mediatam, sive immediatam cum primo illo actu charitatis quo voluit finem: Ita ut primus actus sequens immediatè cum actu charitatis connectatur, ac cæteri inter se. Ad hoc, ut iustorum opera veram, ac propriè dictam habeant rationem meriti de condigno, requiritur pactum, & promissio.

Et si homo de condigno mereatur vitam æternam, nullus tamen, sive de congruo, sive de condigno sibi mereri potest primam gratiam auxiliantem, sicut nec primam gratiam justificantem.

EX SECUNDA SECUNDÆ
DIVI THOMÆ.

DE FIDE,

XLIX.



ST autem fides, (teste Apostolo ad Hebraeos II. v. I.) *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.* Ejus obiectum formale quod, seu ratio quæ à fide primò, & per se creditur, est Deus ut Deus, & ut in se prima veritas excedens rationem naturalem. Formale vero *sub quo* fidei, seu ratio formalis credendi est Deus, ut prima veritas in dicendo, seu revelando ea, quæ non apparent. Et tandem materiale fidei obiectum principaliter quidem est Deus, secundario autem quidquid à Deo revelatur: Unde revelatio privata credenda est ab eo, cui fit, fide divina Theologica, atque intra obiectum materiale computanda. Fidei nostræ resolutio nec fit, nec fieri potest in humanum ratiocinium, nec in solam sacram scripturam, nec in spiritum discretionis, qui adsit cuilibet privato fidei, nec in propositionem Ecclesiæ, adhuc ut in causam partialem, & à priori; sed unice fit in divinum testimonium: Auctoritas tamen Ecclesiæ, ejusque testimonium est signum certum, & infallibile, quo judicare possumus, ac tenemur, hoc, quod illa nobis proponit, ut Verbum Dei, re vera esse Verbum Dei. Fides ex parte hominis credentis, seu assensus non est actus simplex, sed complexus, & enunciativus; minime tamen discursivus. Deus nedum per se ipsum,

ipsum, aut in natura aliena assumpta unquam mentitus est, aut falsum dixit: imò nec mentiri, aut falsum dicere potuit; verum nec per suos Ministros potest mentiri, aut falsum dicere, sicuti nec Doctrinam falsam veris miraculis confirmare. Actus fidei, sive cum actu visionis, sive cum actu scientiæ evidentis, sive cum actu opinionis circa eandem rem oppositionem habet, nec in eodem intellectu conjungi potest. Misteria nostræ fidei sunt evidenter credibilia. Articuli fidei progressu temporis quoad substantiam non creverunt, sed solum quoad explicationem. Tria numerantur fidei Symbola, seu potius tres ejusdem fidei explicationes. Primum est Symbolum Apostolorum. Secundum Nicænum. Tertium Constantinopolitanum. Quare post Symbolum Apostolorum edita fuerint per Ecclesiam alia Symbola? In Palestra.

L.

COrde enim creditur ad justitiam. Inquit Apost. Rom. 10. v. 10. Igitur ad actum internum fidei divinæ, seu ad credendum divina simpliciter requiritur pia affectio, seu motio voluntatis inclinantis intellectum ad assensum. Fides divina supernaturalis est necessaria necessitate mediæ, tum ad justificationem, tum ad glorificationem. Hinc fides actualis supernaturalis est Adultis necessaria necessitate mediæ ad salutem; infantes verò, ut in Baptismo justificentur, non indigent fide actuali propria, vel eorum, qui eos afferunt, vel parentum; indigent tamen applicatione fidei Ecclesiæ. Modò in lege gratiæ necessarium est necessitate præcepti credere non solum in communi id quod credit Ecclesia, sed etiam alia fidei misteria explicite. Igitur quilibet homo tenetur credere explicite omnes articulos fidei, qui per se pertinent ad fidem Catholicam, videlicet, articulos contentos in Symbolo Apostolorum pertinentes ad divinitatem, & humanitatem Christi, ad finem vitæ Æternæ, & media ad illam perveniendi. Sed cum per fidem Catholici à modernis hæreticis fecernantur, quilibet homo explicite tenetur credere illa dogmata, quæ contra modo grassantes hæreses sæpius à Pastoribus inculcantur: Talia sunt, hisce seculis, veritas corporis Christi in Eucharistia, necessitas confessionis, invocatio Sanctorum, Purgatorium, usus, ac utilitas indulgentiarum, & cultus Imaginum. Alia vero, quæ nec expræsse impugnantur, nec per se pertinent ad finem, tamquam media, quamvis sint de fide tenenda, quia à Deo revelata; non tamen tenetur quilibet

libet ea explicite credere, sed solum implicite, & in præparatione animi. Fides explicita Christi, & Trinitatis in statu gratiæ ita necessaria est necessitate mediæ, ad salutem, ut sine illa nemo possit in præsentî providentiâ justificari, & salvari. Angeli boni ante confirmationem, & mali ante lapsum, & primi Parentes ante peccatum habuerunt fidem Theologicam, & hanc in sui conditione acceperunt. In Dæmonibus, aut Damnatis, etiam qui fidem habuerunt in hac vita, neque quoad habitum manet fides infusa Theologica. In animabus vero, quæ olim fuerunt in Limbo, & quæ modo sunt in Purgatorio, fides infusa est ponenda; sed à Beatis, etiam quoad habitum, releganda. In peccatore, licet habitus fidei quoad substantiam remaneat, non ita quod statum perfectum virtutis attingat. Tandem, qui fidem in hæretico quærat, in vanum laborat: Unde qui vel unum articulum fidei pertinaciter discredit, & negat, nequit credere alios fide divina; & sic uno actu infidelitatis habitum fidei divinæ amittit.

DE EXTERNA CONFESSIOE FIDEI.
LI.

ORE autem Confessio fit ad salutem, inquit Apost. Rom. 10. v. 10. Igitur datur præceptum naturale, & divinum de confitenda exterius aliquando fide, sicut de ipsa exterius unquam neganda, quamvis sit interius corde retenta. Primum est præceptum affirmativum, secundum negativum. Affirmativum tunc obligat, quando per ejus omissionem subtrahitur debitus cultus, & honor debitus Deo, & utilitas proximo impendenda. Negativum obligat semper, & pro semper: Unde nullo prætextu, ac nullo in casu licet exterius verbo, vel facto fidem negare, & si interius retineatur in corde. Si quis, ab habente privatam auctoritatem, interrogetur de fide, esto, eam sine mendatio negare non possit, non tamen tenetur eam confiteri; nisi forte ageretur causa Christi. Non licet Christianis uti, ritibus, ceremonijs, aut actionibus ex natura sua, vel humana lege institutis ad protestandam falsam religionem; sicuti nec vestibus, sive ad cultum, sive protestationem falsæ sectæ destinatis. In bello tamen contra Sarracenos uti eorum vexillis, puta, cum effigie Lunæ, vel etiam ipsius Mahumetis, absdubio licet Christianis. Sed quid, si Catholicus per fines hæreticorum transiens ubi, si non manducet cibis prohibitis, dignoscetur ut Catholicus,

L

sic.

ficque periculum mortis subibit? Et maximè, si dies sit veneris, esusque cibi prohibiti tali die sit ab Hæreticis institutus in protestationem suæ sectæ, & in contemptum religionis Christianæ: licebit ne tunc viro Catholico apud ipsos versanti, cibos prohibitos coram ipsis comedere; ne tanquam Catholicus agnoscat, & supplicio etiam extremo afficiatur? Respondemus cum distinctione. Si enim ab Hæreticis ignorantibus; eum esse Catholicum, invitatur eo solùm animo, ut secum prandeat, non animo experiendi fidem ejus: Secluso scandalo, poterit; si vero ab Hæreticis incitatur animo experiendi tali factò, cujus religionis sit professor, an Catholicæ, an Calvinisticæ, & hoc ipsi innotesceret, minimè licebit. Similiter stante Principis lege, ut omnes templum infidelium, vel Hereticorum ingrediantur, ibi cum infidelibus psallant, & in protestationem suæ sectæ eorum Cæremonijs superstitiosis assistant; hoc modo, & in præfatis circumstantijs templa Infidelium, & Hæreticorum adire, pro comperto habemus fidelibus, & Catholicis minimè licere.

DE INFIDELITATE, ET SCHISMATE.

LII.

Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine predicante? Dixit Apost. Rom. 10. v. 14. Igitur infidelitas purè negativa non est peccatum; privativa vero, ejus nimirum, qui fide sibi sufficienter proposita, eam non acceptat; vel contraria, ejus nempe, qui errorem fidei contrarium pertinaciter sustinet, semper peccatum est. Tres sunt species infidelitatis, Paganismus, Judaismus, & Hæresis. Harum infidelitatum, ex parte contradictionis ad fidem, Hæresis est cæteris gravior; ex parte vero corruptionis rerum ad fidem pertinentium gravior videtur infidelitas Gentilium. Anti-Christi infidelitas Paganismus videtur futura = Schisma, quod ex communi usu Ecclesiæ est: *Discessio*, qua quis se separat ab unitate, quam Charitas efficit, speciale peccatum est, ab hæresi distinctum. Est peccatum mortale; & licet peccatum infidelitatis ex genere suo sit gravius peccato schismatis: potest tamen contingere, quod aliquis schismaticus gravius peccet, quam aliquis infidelis, vel propter maiorem contemptum, vel propter maius periculum, & damnum, quod inducit. Potestas jurisdictionalis non manet in schismaticis, & Hæreticis, benè vero potestas Sacramentalis; ea tamèn licitè uti schismaticus non potest,

test, quamvis validè, si ea utatur. Quamdiu peccatum, sive schismatis, sive hæreseos est occultum, nec per Ecclesiæ sententiam declaratum, ordinariè nemo amittit potestatem jurisdictionis. Hinc Episcopi, Parochi, & alij Clerici non amittunt jurisdictionem ipso facto, quo eorum schisma, vel hæresis manifestatur: sed tunc demum, quando, vel nominatim, & publicè denuntiantur excommunicati, vel alia in ipsos fertur per Ecclesiam sententia: vel ultra ipsi manifestè recedunt ab officio, vel beneficio, quod habent, ad Hæreticorum, vel schismaticorum conventicula transeuntes. Sed quid, nùm Episcopus Romanus, ut verus Pontifex à tota Ecclesia cognitus, & receptus, potest ut persona particularis fieri schismaticus? Absolutè & ex terminis potest, quamvis nunquam de facto contigerit.

DE COMMUNIONE FIDELIUM CUM INFIDELIBUS.
LIII.

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores, maximè qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui, inquit Apost. ad Titum 1. v. 10. Igitur fideles cum infidelibus disputare propugnando fidem, ex obiecto suo est res licita. Ex parte vero disputantis disputatio de fide, ad confutandos errores, vel ad exercitium, est laudabile; sed de fide dubitando, est vituperabile in viro catholico, non vero in Pagano, vel Judæo. Cum viri simplices circa res fidei sollicitantur ab infidelibus, necesse est viros prudentes, & doctos cum illis disputare, eosque reffellere. Hinc obligatio ista primo afficit Rectores animarum, id est, Episcopos, & Parochos; si vero Rectores, & Pastores non adsint, vel in hoc desides fuerint, ita ut periculum adsit, ne simplices ab infidelibus corrumpantur: tunc quilibet vir doctus, qui se idoneum judicaverit, tenetur ex charitate publicè coram simplicibus aggredi infidelem, & cum illo disputare. Quod si in casu necessitatis contra fecerint, Rectores animarum contra charitatem, & justitiam lethaliter peccant, alij verò Doctores contra charitatem dumtaxat. Communio cum Infidelibus, qui nullo modo fidem Christianam susceperunt, ad cautelam interdicta est ab Ecclesia fidelibus, omnibusque obligat, nisi sint in fide stabiles, & firmi, ita, quod ex communione fidelium cum infidelibus, conversio infidelium magis possit sperari, quàm fi-
deli-

delium à fide averſio timeri. In pœnam verò ejus, cum quo communio denegatur, interdixit Eccleſia fidelibus communionem illorum infidelium, qui à fide ſuſcepta deviarunt, vel corrupendo fidem, ſicut Hæretici; vel totaliter à fide recedendo, ſicut Apoſtata. Cum his tamen omnibus certiffimum judicamus, jure divino prohibitum eſſe, ne fideles communicent in ritibus ſuperſtitionis eorum; ſicuti nec Infideles cum fidelibus, in Sacramentis, Sacramentalibus, recitatione divinorum officiorum, & præcipuè in auditione tremendi Sacrificij Miſſæ. Quamvis permiſum ſit Chriſtianis in mercibus, emendis ac vendendis cum Hæbreis communicare, & contractus inire, nefas tamen eſſet viro Chriſtiano agnum, aut Bovem vendere Judæo, aut Paganò ad ſuperſtitiones eorum peragendas, videlicet, eo animo, & fine, ut eis malè utatur: Sicuti rem, cujus uſus eſt per ſe malus, aut per ſe ad ritus ſuperſtitioſos eorum refertur. Cum hoc compatitur, quod liceat Chriſtiano vendere Judæo, vel alij infideli rem, cujus ſecundum ſe bonus eſt uſus; etiam ſi fidelis vendens ſciat, quod infidelis uteretur re illa ad ritum ſuum ſuperſtitioſum: puta, Judæus agno ad Paſcha ritu judaico celebrandum.

DE COMPULSIONE INFIDELIUM AD FIDEM.
LIV.

Ecclēſia (inquit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2.) *in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Eptijni januam, fuerit ingreſſus.* Ergo infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, licet ſubditi ſint Chriſtiani Principibus, non poſſunt compelli ad fidem ſuſcipiendam. Optima illatio. Hinc Eccleſia non habet jus compellendi infideles non ſubditos ad audiendum Evangelium. Principes Chriſtiani poſſunt compellere infideles non baptizatos, ſibi ſubditos, ad obſervandam legem naturæ. De facto tamen Chriſtiani Principes non habent jus infideles, non ſubditos compellendi ad fidem, nec puniendi peccata eorum contra legem naturæ commiſſa. Et dato, quod jus haberent ad cœrcendos, & puniendos armis infideles non ſubditos, ut eos averterent, vel ab infidelitate, & idolatria, vel à peccatis contra legem naturæ; non tamen expediret, ut hoc jure uterentur. Infideles non ſubditi Principibus Chriſtianis, non poſſunt ob ſolam infidelitatem ſuis bonis, & dominio ſpoliari. Hæretici, & Apoſtata, ſi redire ſpontè nolint ad Ecclēſiam, & fidem, pœnis etiã tēporalibus cœrcendi ſunt, ut redeant, fidemq̄ ſuſcipiant.

DE

DE SPE.

LV.

Quemadmodum enim de navi, qua in anchoris est rectè dicimus, quod iam in terra sit, licet fluctuet; sic contra hujus peregrinationis nostrae tentationes spes nostra fundata in illa Civitate Jerusalem, facit nos non abripi in saxa, præfatur D. August. in Psalm. 64. Igitur spes est vera virtus infusa, & Theologica à fide, & charitate distincta. Ejus obiectum immediatum, & primarium quod est Deus, ut connotans tamen consecutionem sui, quæ per visionem fit: ita ut consecutio non sit obiectum, nec pars obiecti, sed tantum conditio obiecti. Obiectum formale quo est Omnipotentia Dei, ut auxilians; bona verò creata, ad beatitudinem conducentia, intra obiectum secundarium sunt annumeranda. Spes propriè talis locum non habet in Hæreticis, repugnat damnatis; Beatis est prorsus impossibilis; in animabus olim in Limbo, & modò in Purgatorio existentibus verè residet; neque à justis viatoribus est releganda, & etiam ab omnibus illis fidelibus, qui tametsi malè vivant, non tamen desperant; neque præsumunt solis suis viribus veniam, aut gloriam consequi, vel sola Dei misericordia absque ullis bonis operibus adipisci. Si alicui fieret revelatio de sua damnatione, & certò sciret, eam esse de sua damnatione absolutè, & inimpedibiliter futura, nec posset, nec teneretur suam salutem amplius sperare, neque peccaret desperando.

DE CHARITATE.

LVI.


SI quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, dixit Christus Joan. 14. v. 23. Hinc charitas est verè, & propriè amicitia hominis cum Deo: Unde sine gratia, & charitate, alijsque supernaturalibus donis vera amicitia hominis ad Deum non potest salvari, atque ab homine in puris naturalibus condito, debet avelli. Sed cum charitas Dei difusa sit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, manifestè apparet, quod non sit ipse Spiritus Sanctus immediatè actum dilectionis producens in anima, sed aliquid in anima infusum, & productum, quo anima fit amoris Dei principium productivum. Ejus obiectum formale quo, seu ratio motiva est

M

ipsa

ipsa Dei bonitas in se sumpta, sive etiam ut conveniens nobis: quatenus tamen abstrahit ab ejus possessione, vel non possessione; formale quod est sola bonitas divina; alia vero à Deo sunt objecta solum secundaria. Eadem est charitas, qua diligitur Deus, & qua diligitur proximus, propter Deum. Homo debet ex charitate diligere se ipsum, suum corpus, Angelos, peccatores, & inimicos; peccatores tamen sunt ex charitate diligendi secundum naturam, & odiendi secundum culpam; inimici vero, non ut inimici, sed ut homines. Charitas tam in genere moris, & virtutis, quam in genere entis, & physico est simpliciter perfectior fide, aliisque virtutibus. Per se causatur in nobis per infusionem Spiritus Sancti. Quæ modo est in via potest augeri; augmentumque ejus intensivum non fit per additionem novi habitus: sed solum per hoc, quod subiectum magis, ac magis participat charitatem, idest, secundum quod magis reducitur in actum illius, ac magis subditur illi. Non quolibet actu charitatis charitas actu augetur: Quilibet tamen actus charitatis disponit ad charitatis augmentum: Unde quilibet actus charitatis, etiam remissus, secundum se meretur augmentum charitatis; sive actus sit à charitate elicited, sive imperatus. Præceptum de charitate in Deum est speciale præceptum à ceteris distinctum, ut, si quis ipsum omiserit; etsi alia omnia servaverit, salutem æternam consequi non possit. Insuper ordo charitatis est in præcepto, idest, non solum nobis præceptum est, ut diligamus Deum, Creaturas &c. Sed ut diligendo ordinem servemus. Hinc Deus super omnia diligendus est tum appetitive, tum appetiative; Homoque magis appetiative tenetur diligere Deum quam se ipsum;

Et se ipsum, quam proximum: Et per se loquendo illi, qui nobis sunt Conjunctiores secundum Carnem sunt magis diligendi, quam extranei, licet meliores.



EX

EX TERTIA PARTE
DIVI THOMÆ.

DE DIVINI VERBI INCARNATIONE.
LVII.

U *Æ* impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum, habetur Luc. 18. v. 27. Igitur deridendi sunt Gentiles, qui suo captui mentientes, nec potentiam Dei attendentes Incarnationis possibilitatem negavere. Hujus misterii à seculis absconditi possibilitatis notitia, solis naturæ viribus, & seclusa revelatione, nec evidenter, imo nec probabiliter haberi quit.

Q Cum per Incarnationem manifestentur Divina Attributa, simulque homo à servitute Diaboli sit ereptus, conveniens fuit Incarnatio, tum Deo redimenti, tum homini redimito; & quia solus homo reparatione indigebat, ejusque peccatum fuit inconsideratione patratum, convenientius assumpta fuit humana, quam Angelica natura, convenientiusque Verbum humanitate vestiri, quam Patrem, & Spiritum Sanctum. Multifariam potuit Deus hominem redimere, verum quia ejus voluntas fuit ipsum absolvere, exigendo ab eo condignam satisfactionem culpæ; adeo necessaria fuit Incarnatio, ut nec in hac, nec in alia providentia, tum pro originali, tum pro personali mortali; proprio, vel alieno potuisset purus homo satisfacere; ideoque ad exhibendam Patri plenam satisfactionem injuriæ, obligatus fuit Christus ex toto rigore justitiæ, implevitque omnes conditiones strictæ justitiæ, & quia Fidejussor noster erat Persona Divina, ejus satisfactio fuit, nedum æqualis offensæ, sed etiam superabundans, valorisque simpliciter, & intrinsecè infiniti.

LVIII.

LVIII.

QUÆ autem humanitatis à Deo propter nos suscepta causa extitit? Profecto, ut nobis salus pareretur. Quid enim aliud cause afferri potest? Quam mirificè Nazianzen. orat. 36. Igitur qui non venit vocare justos, sed peccatores Protoplastorum peccato è medio sublato ex vi præsentis decreti non venisset, neque languores nostros ipse portasset. Quamvis ejus sanguis emundet nos ab omni peccato, principalius tamen ab originali, quam actuali: unde solo originali existente venisset, sed quid originali ablato, solo remanente actuali? Venisset? Nequaquam Cœlos disrumperet unigenitus. Etsi omnes tres Personæ concurrerent ad Incarnationem, solus Filius Dei (ut Aug. testatur) formam, & naturam servi in suam accepit Personam; ex quo evidenter colligitur, unionem humanitatis ad Verbum factam fuisse non secundum naturam communem, sed secundum propriam personalitatem. Hęc unio prout est vinculum seu nexus, quo formaliter humanitas dicitur unita verbo, non est modus aliquis absolutus distinctus ab humanitate, & Verbo, sed est Verbum, & humanitas non seorsim, sed simul sumpta.

DE DEFECTIBUS IN HUMANITATE ASSUMPTIS.

LIX.

VErè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, dixit Isaias. 53. v. 2. Ecce quomodo qui semetipsum exinanivit, & formam accepit servi, nostras misérias, & defectus assumpsit; sed quos? Eos nempe, qui totę speciei sunt communes; eos vero, qui non consequuntur totam naturam humanam, propter peccatum primi Parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus, & individualibus causis, ut lepra, febris, &c. Minimè. An vero assumpsit in corpore formam vilem, ac deformem? An vero elegantem ac venustam? Non est pro certo exploratum; unde media via incedentes dicimus, nec venusta ad modum facie, ac pulchritudine fuisse, nec admodum abiecta, vili, aut deformi, sed proportionata. Fuerunt etiam in Christo passiones animæ, ut dolor sensibilis, tristitia, timor, ira per zelum; aliter tamen ac in nobis; quomodo tamen? Rogatus dicam. Non admitimus in Christo, neque ignorantiam, neque peccatum, neque fomitem peccati; immo neque potentiam peccandi, cujus impec-

impeccabilitatis causa intrinseca est unio substantialis ad Verbum, nullatenus vero beatitudo. Quidquid clament Scotiste.

DE SCIENTIA ANIMÆ CHRISTI,
LX.

IN quo (Christo) sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi dixit Apost. ad Colos. 2. v. 3. Agnovit ergo Apollolus in Salvatore nostro omnem plenitudinem scientiæ, sive Divinæ, sive creatæ; nullatenus tamen potuit ejus Anima esse sciens, aut intelligens per scientiam, aut intellectionem increatam. Sed cum scientia creata alia sit beata, alia infusa, alia acquisita, hæc scientias perfectissimæ possidere Animam Christi, fatemur; probabiliusque tenemus, scientiam istam acquisitam non fuisse Christo per accidens infusam, sed proprio labore comparatam. Adeo propria est solius Dei sui ipsius comprehensio, ut nec Anima Christi, tanto fulgore perfusa, potuerit comprehendere per scientiam beatam Divinam essentiam. Cognovit tamen omnia Divina decreta, & res per talia decreta dispositas, & ordinatas. Cum Christus esset supremus Provisor, caput, & Judex generis humani, necessaria illi fuit ad perfectam prudentiam, & providentiam cognitio per scientiam infusam futurorum contingentium, & secretorum cordis, immo, & omnium entium naturalium, tum materialium, tum spiritualium, & probabiliter etiam comprehensiva luminis gloriæ, & visionis beatæ

DE GRATIA CHRISTI,
LXI.

Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Et subditur: de plenitudine ejus omnes accepimus, habetur Joan. 1. v. 14. & 16. Verbum ergo caro factum erat plenum illius gratiæ, quam nos hausimus ex ipso, tanquam ex supremo fonte; & cum aqua, quæ est in rivulo, ejusdem rationis sit cum aqua fontis, si gratia, quæ in nobis est, habitualis est, qualis erit gratia Christi? Cum Christus sit filius Dei naturalis, non admitit filiationem adoptivam. Ejus Anima per unionem Hipostaticam fuit Sanctificata, nedum radicaliter, & causaliter, verum etiam formaliter, & intrinsecè; hæc tamen formalis sanctificatio provenit à natura Divina ut à forma; à Verbo autem, ut illi communicante Sanctitatem. Fieri non potuit, ut opera Christi essent meritoria absque gratia habituali,

N

tuali, vel actuali, quæ esset principium quo talium operum; unde ad merendum in Christo sola gratia unicus satis non erat. Cum Christus esset caput Ecclesiæ, necessaria fuit in eo præter gratiam personalem, gratia habitualis constituens ipsum in ratione capitis, quæ gratia adeo perfecta fuit, ut in genere entis possit dici quodammodo infinita, sed non absolute, simpliciter, & intrinsece; bene tamen infinitate morali, & moralis dignitatis.

DE VIRTUTIBUS ANIMÆ CHRISTI.

LXII.

Gratia sufficit homini quantum ad omnia, quibus ordinatur ad beatitudinem. Horum tamen quadam perficit gratia immediate per se ipsam, sicut gratum facere Deo, & alia hujusmodi; quadam autem mediantibus virtutibus, quæ ex gratia procedunt. Hæc Ang. D. 3. p. q. 7. art. 2. ad 1. Igitur cum Anima Christi, nedum esset Deo grata, verum etiam operativa in ordine supernaturali, debuit esse ornata omnibus virtutibus moralibus per se infusis, quæ unioni Hypostaticæ non repugnabant. Cum Christus ab initio suæ conceptionis fuerit beatus, non habuit fidem, nec spem Theologicam; nam quod videt quis, quid sperat? Fuit tamen in eo spes communiter dicta. Non fuit in Christo poenitentia, quia non habuit de quo doleret; fuerunt tamen omnes virtutes morales per se acquisibiles; sed an istæ fuerint per accidens infusæ, an propriis actibus comparatæ, relicta opinionum varietate, non est improbabile, sed valde consentaneum dicere, fuisse à Christo propriis actibus acquisitas; sic enim maxima perfectio explicatur.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

LXIII.

Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emitte, & comedite absque ullo argento, & absque ulla commutatione vinum, & Lac, dixit Deus per Isaiam 55. Et quamvis Deus variis sui amoris signis testatus sit, quam ardentem bonam suam creaturæ rationali communicet, sacramenta instituendo planè persuasit. Omnes vocat, nullum excludit, qui publicos fontes, quibus cœlestis gratia jugiter defluat, aperuit. Sacramentum ergo in genere signi collocatur; talis-

talisque ratio generica univoca est ad Sacramenta novæ , & veteris Legis. In statu innocentia de facto nullum fuit Sacramentum, nec fuisset, etsi durasset juxta hanc providentiam. In lege tamen naturæ fuit aliquod remedium, quo Adam, & ejus posterii à peccato mundabantur; sed an hoc fuerit Sacramentum? Postulanti fiet satis. In omnibus Sacramentis res, seu actiones sensibiles se habent, velut materia; verba autem tamquam forma, quæ etsi in aliquibus Sacramentis determinatæ sint in genere, & in specie athoma; in aliis vero fuisse à Christo solum in genere, vel specie subalterna determinatas, defendimus. Quando autem cæperit usus nominum materiæ, & formæ, non una est Eruditorum sententia. Nos invictè sustinemus ante annum 1200. in Scholas Theologorum prædictum usum non intrasse.

LXIV.

Alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem; Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. Verba sunt August. in Psalm. 73. Quibus aperte demonstrat, Sacramenta novæ legis non esse mere conditiones, ad quarum præsentiam Deus conferat gratiam; sed propriè illam causare ex opere operato, & quidem physicè instrumentaliter, non ponentibus obicem. Non tamen omnia Sacramenta habent per se primo causare gratiam primam; nam ea, quæ vivorum Sacramenta dicuntur solum per accidens gratiam primam nonnumquam causare possunt. Aliqua Sacramenta imprimere Characterem est Dogma fidei contra Luterum, Zuinglium, aliosque Novatores. Est autem Character qualitas de specie potentia, indelebiter intellectui pratico inherens. Intentio habitualis in Ministro non sufficit, actualis non requiritur; sicut nec fides, aut probitas, benè verò virtualis necessaria est ad valorem Sacramenti.

DE BAPTISMO.

LXV.

OMni homini renascenti aqua Baptismatis instar est uteri virginialis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit, & Virginem, ut peccatum, quod ibi evacuavit sacra conceptio, hic solvat ablutio. Sic altè attolitur Sacri Fontis dignitatem S. Leo. Ser.

Ser. 4. de Nativ. Baptismi enim Sacramentum à Christo Domino institutum fuit ante Palsionem, dùm in Jordane à Joane fuit Baptizatus; sed adhibendi illius necessitatem, non nisi post Resurrectionem indixit. Hujus Sacramenti materia remota est aqua naturalis, sive marina, sive colata per Cineres; non verò rosacea, proxima verò est ablutio, sive per immersionem, sive per effusionem, sive per asersionem. In forma Baptismi necessario debent exprimi tres Personæ SS. Trinitatis, undè Baptismus collatus in nomine unius Personæ; vel Jesu-Christi non valet. Minister ordinarius, & solemnitatis Baptismi est Episcopus, vel Præsbyter, & in casu necessitatis Laicus, sive mulier, sive vir. Pueri in uteris maternis existentes baptizari non possunt; sicut nec filii infidelium, qui politicè tantum, & civiliter subjiciuntur Ecclesiæ, aut Principibus Christianis invitatis Parentibus, nisi imminente morte, baptizari debent. Baptismus imprimi Characterem, ideoque absque Sacrilegio iterari non potest.

DE CONFIRMATIONE.

LXVI.

His, qui inter Resurrectionem, Ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magnaque revelata mysteria. O, verè digna S. Leonis Sententia. In hoc igitur tempore non otioso, sed ad instituenda Sacramenta destinato, Sacramentum Confirmationis fuisse à Christo D. institutum credimus; cujus materia remota Chrisma est ex oleo olivarum, & balsamo confectum; proxima vero unctio Chrismatis in formam Crucis in fronte confirmandi; forma autem: *Signo te signo Crucis, &c.* Fide certum est solum Episcopum esse hujus Sacramenti ordinarium Ministrum. Valida est Confirmatio data ab Hæreticis, subjectumque capax confirmationis sunt soli baptizati; & si sit adultus in statu gratiæ debet esse, si vero peccator contritionem, vel attritionem cum pœnitentiæ Sacramento debet habere. Proprius Confir-
mationis effectus gratia est roborans,
ad fidem coram Tyrano
confitendam.

DE

DE VENERABILI EUCHARISTIÆ SACRAMENTO,

LXVII.

Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & manducate: hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. I. Cor. II. En igitur admirabile Eucharistiæ Sacramentum, præciosum, & admirandum convivium, salutiferum, & omni suavitate repletum, à Christo Domino institutum, tamquam unum ex novæ legis Sacramentis, istis congruentissimè additum, & inter alia à Tridentino vocatum præstantissimum; quod, licet unum in specie atthoma Sacramentum sit, ad multiplicationem tamen specierum número multiplicatur. Quid hoc Sacramento mirabilius! In ipso namque panis, & vinum in Christi Corpus, & Sanguinem substantialitèr convertuntur; ideoque ista sunt materia necessaria Sacramenti. Si ad valorem Sacramenti respiciamus, quæcumque quantitas est materia, etsi maxima; si vero licitè loquamur, sola illa, quæ à fidelibus potest sumi, antequam species corrumpantur in pixide. Materia debet esse sensibilitèr præsens Sacerdoti; certa, & determinata per intentionem Consecrantis. Unicè panis triticeus; solumque vinum de vite est materia idonea hujus Sacramenti; & quamvis valida sit consecratio, sive in azymo, sive in fermentato fiat, nec Latinis fermentatum, nec Græcis azymum licet adhibere pro materia. Aquam vino esse miscendam in modica quantitate firmiter Ecclesia tenet; in contrarium conspirantes Lutherani, & Calvinistæ; & adversus Recentiores propugnamus; infusam Calici aquam, nequaquam converti in Sanguinem, nisi præconversa in vinum.

LXVIII.

Accipite, & comedite: hoc est Corpus meum: Bibite. Hic est Sanguis meus. I. Cor. II. Hæc sunt mirabilia verba ad quorum sonum substantia panis, & vini fit Corpus, & Sanguis Domini. In quibus verbis consistat forma essentialis, dubitant Heterodoxi, & nostri Authores Catholici; sed nos relicta audacia Buceri, errore Calvini, & opinione Scoti dicimus: Verba essentialia in consecratione panis esse sola hæc priora: *Hoc est Corpus meum*; & ut probabile tenemus: Hæc sola *hic*

O

est

est sanguis meus esse de essentia consecrationis vini ; quamvis alia ad substantialem integritatem pertineant. Revera in hoc Sacramento totus Christus continetur ; poniturque ex vi verborum in hostia dumtaxat Corpus ; & in Calice solum Sanguis. Quamvis Christus in hoc Sacramento immobiliter sit, moveri potest per accidens ad motum panis , & vini. Neque Oculus Corporeus , neque oculus mentalis potest solis naturæ viribus percipere Corpus Christi in hoc Sacramento ; sed si iste lumine gloriæ confortetur , videre posse non nego. An vero sit Corpus Christi , dum miraculosè apparet Caro , vel Puer formosus. Cum distinctione resolvam. Species post conversionem manentes in Eucharistia sunt vera physica , & realia panis , & vini accidentia ; uude contra Recentiores sustinemus , sententiam talia accidentia negantem esse temerariam ; & damnatam in Sinodo Constantiensi sessione 8. Benè , religiose , & piè Ecclesiam se gerere dum Eucharistiam reservat , eam defert ad egrotos , festum ejus solemnizat , venerandam circumgestat in publicis processionibus , exponitque Corpus Christi , ut offerant fideles cultum, omnes Catholici autumant. Recedant Sacramentarii post Calvinum , & Zuinglium Luterus , Melacton , & alii contra hos sanctissimos ritus blasfemo ore latrantes.

LXIX.

Sic nos existimet homo , ut Ministros Christi , & dispensatores misteriorum Dei. Ita alloquitur Paulus 1. Cor ; postquam de Episcopis , & Præsbyteris , tamquam de Christi Ministris locutus fuit. Rectè igitur infertur ; solos Episcopos , & Præsbyteros esse ordinarios Ministros Eucharistiæ Sacramenti ; licet non sit improbable posse Diaconum fidelibus hoc convivium ministrare , si necessitas urgeret. Incapaces recipiendi Eucharistiam judicamus peccatores , quorum delicta sunt publica : secus si ignota. Quid autem dici debeat de Amentibus, sicut etiam de Energumenis ? Sensum aperiam roganti. Certò certius est ; requiri statum gratiæ , ut debitè quis accedat ad hanc magnificam Cœnam , unde nemo , qui non sit indutus veste nuptiali , potest percipere fructum hujus Sacramenti. Altera ex dispositionibus est jejunium naturale , excepta necessitate ; quamvis constanter negemus , licitum esse Præsbytero Eucharistiam consecrare , ut eam det egrotosito

sito in ultimo vitæ periodo. Ut erroneam reputamus opinionem volentem : somnum mediare inter Coenam , & communionem , quæ facienda est summo manè ; expositur tamen puritas ex parte Corporis ; unde fæditas contracta ex copula conjugali ; sicut & pollutio involuntaria arcet quodammodo à fructu hujus Sacramenti. Datur præceptum sumendi sacram Communionem ; quod nullatenus impletur per communionem sacrilegam.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

LXX.

SE supra omnes abominationes habere Missam , & nihil magis dolere , quam quod per annos 15 Missas celebraverit Catholicorum more ; impiè de se testatur Luterus in confessione , quam edidit in formula Missæ pro Ecclesia Uvitembergensi anno 1528. Scandalum perniciosissimum vocans , quod Missa dicatur Sacrificium. Lib. de Capt. Babilonica. Uenum hoc in Anglos , Germanos , & Genevenses sparsum confixit Tridentinum , & nos cum ipso aserentes : Eucharistiam esse verum novæ legis Sacrificium , quod essentialiter sumptum non consistit in oblatione vocali , nec in fractione specierum ; aut earum distributione , sed unice in consecratione juncta mentali oblationi . qua Christus victima offertur eterno Patri. Valor Sacrificii Missæ quoad sufficientiam , & præteritum sine dubio est infinitus , non tamen quoad efficaciam , & ut oblatum per Ecclesiæ Ministros. Pro omnibus offerri potest mortalem vitam degentibus ; valdèque prodest defunctis detentis in Purgatorio , nullatenus vero illis , qui à conspectu summi Judicis eijcientur maledicti. Minimè licet Præbytero accipere Eleemosynam pro Missæ celebratione , & illam committere , aliqua parte retenta ; sicut nec Missas celebrare pro illis , qui sunt postulaturi. Missa solemnis magis prodest , quam privata , & ex opere operato , & operantis. Omnes , & solos Præbiteros esse ordinarios Ministros hujus Sacrificii declaravit Tridentinum , turpes Sectariorum errores diro anathemate damnans , adeoque intrinsecè inheret hæc potestas , ut nec peccatum mortale , Hæresis , Schisma , Suspendio , excommunicatio , & degradatio illam auferant. Impiè Martinus Luterus rejicit Missam privatam ; eamque abrogare inten-

tentat Lib de obroganda Missa : Contra quem cum Tridentino ses. 22. can. 8. statuimus: Licitum esse Presbytero talem Missam celebrare , quamvis mortaliter peccet peragens hoc Sacrificium absque sacris indumentis.

DE POENITENTIA.

LXXI.

Poenitentiam (inquit Tertullianus lib. de Poenit. cap. 4.) tu peccator ita invade , ita amplexare : ut naufragus alicujus tabula fidem. Hac te peccatorum fluctibus mergum perlavabit, & in portum Divina clementia protelabit. Hac igitur ratione Sacramentum mortuorum dicitur , & secunda tabula post naufragium. Verum Sacramentum est à Christo D. institutum , cujus proxima materia actus poenitentis sunt , contritio , Confessio , & satisfactio ; remota vero omnia peccata ; necessaria , si mortalia , libera , si venialia. Forma perficitur his verbis: *Absolvo te.* Invalidam judicamus absolutionem in scriptis ; sicut , & confessionem per litteras , vel nuncium. Contritio imperfecta ex metu Gehennæ concepta non facit hominem hipochritam , ut existimat Luterus , sed est actus laudabilis , & bonus. Revera admittendum est Sacramentum poenitentiae validum , & informe ; sed in quo casu ? Dicam. Confessio , ut valida sit , debet esse integra formaliter , ideoque tenetur poenitens declarare in confessione omnia , & singula peccata , quantum ad speciem , & omnes circumstantias peccati speciem mutantem ; probabiliusque censemus : circumstantias agravantes notabiliter malitiam intra eandem speciem peccati ; sicut etiam relapsus , vel consuetudinis , necessario esse aperiendas ad valorem confessionis ; potestque licite poenitens , & tenetur complicem manifestare , si aliter non potest exprimi integra species peccati ; quin ad hoc obstet infamia apud Confessarium complicitis.

LXXII.

Accepit Spiritum Sanctum , quorum remiseritis peccata , remittuntur eis , & quorum retinueritis , retenta sunt. Joan. 20. Quæ cum non sint omnibus dicta , sed solis Apostolis , quibus in hoc ministerio Episcopi , & Sacerdotes succedunt , clarum est , eos solos hoc ministerio potiri , non quidem sola potestate Ordinis , sed etiam jurisdictionis , ideoque judicamus apro-

aprobationem Episcopi esse omnino necessariam, ut tam valide, quam licite aliquis possit absolvere. In agone mortis positus, & si destitutus sensibus, licite potest absolvi; si dedit signa doloris ante adventum Sacerdotis; sed tamen secus, si secus; bene vero sub conditione, præcipue, si piam vitam duxisse, certò constet. Adeò stricta est obligatio in sigillo confessionis, ut nec in periculo boni communis, aut alia necessitate possit licite Sacerdos hominibus palam facere; & si fecerit triplex peccatum comittit. Quomodo debeat se gerere Confessarius, qui à Judice interrogatur de crimine, quod in confessione audivit? Rogatus dicam. Satisfactio est altera ex partibus Sacramenti; sed integralis, non essentialis. Quamvis homo de condigno benè possit satisfacere pro pæna peccato debita; non vero de toto rigore justitiæ. Duplex in antiqua Ecclesia erat satisfactio publica, alia ab Ecclesia imperata; alia à pœnitente accepta; Ordinesque pœnitentium erant: flentes, audientes, substrati, & consistentes; quorum pœnas, si oportuerit, explicare non negabo.

DE INDULGENTIIS,
LXXIII.

Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cælis. Math. 18. v. 18. En solidæ Petræ Petro, Cœli supræmo Clavigero collata à Christo potestas relaxandi, & condonandi pœnas pro peccatis debitas. Hæc relaxatio, & remissio, donatio, & condonatio nomenclatura indulgentiæ honoratur ab Ambrosio. Nititur hæc indulgentia infinito illo Thesauro operum Christi, & Sanctorum, qui meritis suis non egent ad expianda peccata. Thesaurum istud cœleste, non in Sudario repositum, neque absconditum in agro, commissit Dominus fidelibus dispendendum per Petrum, & ejus Successores. Os suum claudat Lutherus, qui indulgentias impugnavit amore indulgentiarum. Dividitur indulgentia in plenariam, & partialem. Plenaria non subdividitur; nam Jubileum ab illa solum per accidens difert, partialis vero secatur in varia membra, que exponam, si oportuerit. Indulgentiæ non remittunt Culpam; benè verò pœnam injunctam, & injungendam. Tantum valent, quantum sonant, si in concedente est autoritas; in recipiente charitas; & ex parte causæ pietas. Nec Damna-

P
tis,

tis, nec Beatis, nec Pueris in Limbo possitis possunt prodesse indulgentiæ; sed benè Defunctis, quatenus Sufragium, non quatenus absolutio. Nec Parochi, nec Abbates, nec Prælati regulares possunt indulgentias concedere, sicut nec Archidiaconus; nec Episcopi Vicarius; nec Cardinalium Collegium, Cathedra Petri vacante; nec Concilium generale, si non adest summus Pontifex, possunt hoc bonum præstare pro universali Ecclesia; sed solus Papa pro tota, & Episcopi pro sua; quamvis probabile sit Collegium Canonorum in sede vacante possit 40. dies concedere pro vivis, & defunctis.

DE EXTREMA-UNCTIONE.
LXXIV.

Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus, & Sanguinem Christi ille, qui agrotat, accipiat; & inde corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: *Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros &c.* Hæc Aug. serm. 215. de tempore. Quibus complementum Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ agnoscit Extremam Unctionem, quam adhibet Ecclesia gravi morbo correptis, de vita periclitantibus. Verum Sacramentum est, à Christo institutum; ut è corpore migrantes facilius ingrediantur cœlestem fœlicitatem. Ejus materia remota est oleum olivarum benedictum ab Episcopo; proxima, unctio quinque sensuum, & forma solemnitas illa præcatio: *Per istam Sanctam; &c.* Soli Presbyteri sunt Extremæ Unctionis Ministri; sed non quilibet, sed ille, qui habet in infirmum jurisdictionem. Conformiorem judicamus scripturæ, & traditioni praxim Ecclesiæ Latinæ, quæ solis ægrotis illis, de quorum morte timetur, confert Extremam Unctionem. Nec furiosi, nec Amentes à nativitate, sicut nec pueri debent ungi hoc Sanctissimo oleo; sed bene illi infelices, qui morbo pestis laborant. An vero teneatur Parochus etiam cum vitæ dispendio Unctionem istis conferre? Roga. Effectus principalissimus est remissio peccatorum quoad eorum reliquias; minus autem principalis est quædam allevatio corporalis ægrotudinis, immò, & sanitas perfecta, si expedit. Benè potest iterari etiam in eodem morbo, si multoties venerit ad finem vitæ.

DE

DE ORDINE.
LXXV.

Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpti eos; tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus; dimiserunt illos. Act. 13. v. 2. Ecce Saulum, & Barnabam ordinatione Spiritus Sancti ad opus sacri ministerii designatos; & Pontifices ex hominibus assumptos, constitutos in his, que sunt ad Deum, ut offerant dona, & Sacrificia pro peccatis. Hebr. 5. v. 1. Ex quibus evidenter colligitur contra modernos Secretarios, dari in Ecclesia sacrum Ordinem; verum novæ legis Sacramentum, quo Clerici constituuntur medii inter Deum, & Populum. Septem complectitur Ordines, quorum formam, & materiam, si opus fuerit, assignabo. Soli Episcopi sunt jure divino Ministri Sacramenti Ordinis; & si debitam materiam, & intentionem adhibeant, etiam si Hæretici sint, schismatici, Suspensi, Depositi, ac Degradati, validè, quamvis non licite possunt Ordines conferre. Litteræ dimissoriæ, quæ reverendæ vocantur, solummodo ab Episcopo possunt concedi; ejusque sede vacante intra annum vacationis solum in aliquo casu potest Capitulum dispensare. Excluditur à subiecto idoneo hujus Sacramenti quilibet feminei sexus, solusque vir baptizatus, & confirmatus potest licite recipere ordinationem. Jure antiquissimo, & recto Præsbyteris, & Diaconis lex continentiae est annexa, sicut etiam subdiaconis; prohibeturque eis conjugium à natura inchoativè, & ab Ecclesia ultimè. Hæc tamen potest in illis ex rationabili causa aliquando dispensare, sed minime Religiosis in aliqua Religione solemniter mancipatis:

DE EPISCOPATU, ET CHOREPISCOPATU.

LXXVI.

Adversus Præsbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus. 1. ad Timot. 5. v. 19. Reliqui te Græcæ, (Episcopum,) ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per Civitates Præsbyteros. Ad Tit. 1. v. 5. Ecce Episcopi, quales erant Titus, & Timotheus, Rectores, & Judices constituti; non solum super fideles, sed etiam super Præsbyteros; ex quo à fortiori colligitur: non Ecclesiastico tantum, sed etiam jure Divino omnes Episcopos esse ordine, & jurisdictione supe-

superiores ad Præsbyteros , & quamvis illorum ordo verum Sacramentum sit , nullatenus adequatè ; sed inadequate solum ab ordine istorum difert ; tamquam extensio , perfectio , eminentia , ac gradus supremus ordinis Sacerdotalis. Cum multa occurrant facienda in ordinatione Episcopi , non pauca circumferuntur Theologorum opiniones , in assignanda materia essentiali Ordinationis ; sed nos in sua probabilitate aliis derelictis , probabilius judicamus : in impositione manuum totaliter sitam esse materiam consecrationis ; alia vero superaddita , nimirum unctionem , & traditionem Libri , Baculi , & Annuli esse solum integram effectus ordinationis expræsius significantia ; ideoque tenemur dicere consequenter procedentes : formam perfici his verbis : *Accipe Spiritum Sanctum*. Tres Episcopi ad minus jure Ecclesiastico requiruntur ad alium consecrandum ; sed hoc est de Solemnitate , non autem de substantia consecrationis. Omnes Episcopi agnoscere debent summum Potificem , ut supremum Caput , qui solus habet Potestatem Episcopos consecrandi per totum Christianum Orbem ; ergo electio Episcoporum jure Divino non competit seculari Potestati. Bona illatio. Episcopis inferiores agnoscimus Chorepiscopos ; quia non fuerunt veri Episcopi , sed simplicis Sacerdotes , qui in Aldeis personam Episcoporum gerebant , & quamvis contendant Græci , istos consecratos fuisse cum manuum impositione ; nusquam fuit apud Latinos cum ritu determinato nominatus Chorepiscopus. Auctor Chorepiscopatus non fuit Christus , sed Ecclesia. Officia , quæ isti exercebant , non renuam explicare.

DE SPONSALIBUS.
LXXVII.

Institutum est , ut jam pacta sponsa non tradantur statim , ne vilem habeat Maritus ditam , quam non suspiraverat sponsus dilatam. Hæc Aug. lib. 8. Conf. Ideo præmittuntur sponsalia , ut dicitur in jure canonico institut. 23. quæst. 2. Sic optimè sponsalia diffiniuntur : *Futurarum nuptiarum* , &c. Claudeflina sponsalia etiam post Tridentinum sunt valida. Surdus , & Mutus contrahunt validè sponsalia , si intellectu perspicaci sint ornatu , ceterum nullus furiosus , quando furore est possessus , ea contrahere potest. Quamvis sponsalia præmittere laudabile sit , Matrimonium sine illis contractum validum est. Si sponsalia contrahantur absolutè , obligant sub peccato gravi tempore præfixo ;

fixo; si autem tempus non præfigitur, ubi commoditas adfit, loci attenta consuetudine. Malitia supplente ætatem possunt contrahi sponsalia ante finitum septenium; sed si non suppleat malitia, finiri debet; undè sponsalia contracta ante annos discretionis invalida judicantur, si aliquis eorum clamet pro libertate. Omnibus, quibus prohibetur contractus matrimonialis ob impedimentum prohibens, vel dirimens, prohibetur etiam contractus sponsalium; quæ dirimuntur, si alter ingrediatur Religionem. Per sponsalia de novo, etiam jurata non dissolvuntur præcedentia; sed benè per Matrimonium valide contractum. Quando tempus ad finiendam obligationem assignatur, illo transacto, dissolvuntur sponsalia ex parte ejus, qui paratus erat ad matrimonium contrahendum. Similiter dissolvuntur ex parte sponsæ per longam absentiam Sponsi, ipsa non consentiente. Alias causas, ob quas dissolvuntur sponsalia, paratus sum exponere.

DE MATRIMONIO,
LXXVIII.

Propter quod relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhaerebit Uxori suæ, & erant duo in carne una; itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Mathei 19. His verbis Salvator noster, repudii abrogata lege, contractum illum antiquum, quod à Deo fuit institutum, velut naturæ officium, in statu innocentiae, ad dignitatem evehit Sacramenti novæ legis. Habet pro materia proxima mutuum contrahentium consensum, verbis, aut signis traditionem indicantibus præssum; pro forma vero eundem mutuum consensum rationem acceptantis habentem. Hujus Sacramenti Ministros, solos contrahentes esse, certissimum est. Cum Corporum commixtio non sit de essentia, sed solum de integritate accidentali Matrimonii; firmissimè sustinemus contra Sequaces Luteri, & Calvinii: matrimonium ratum, non consummatum dirimi per solemnem professionem. Oppositum judica de consummato. Quenam autem consummatio requiratur ad impedendam professionem religiosam? Si opus fuerit, dicam. Matrimonia clandestina, quamvis aliquando valida, numquam tamen fuerunt licita; & post Tridentinam Sinodum irrita sūt, & innania: ergo sine dubio potest Ecclesia statuere impedimēta dirimentia matrimoniū; nihil addēdo, vel innovādo de ejus materia, aut subjecto. Habes ita.

Q

EX.

EX SUPPLEMENTO
TERTIÆ PARTIS
DIVI THOMÆ.

DE RECEPTACULIS ANIMARUM POST MORTEM.

LXXIX.



*S*ICIMUS enim, quoniam, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, domum habemus non manufactam aeternam in Cœlis, inquit Apost. 2. Cor. 5. Si ergo pro animabus sanctis, justis, & immaculatis domus fabricata in Cœlis pro receptaculo assignatur, pro cœteris animabus alia quatuor loca pro receptaculis ponuntur; videlicet Limbus Patrum, Limbus Puerorum, Infernus, & Purgatorium, sed cum Christus per descensum ad Inferos Limbum Patrum evacuaverit, post mortem, & resurrectionem suam tria tantum receptacula admittimus, scilicet Cœlum, Purgatorium, & Infernum; ante adventum tamen Christi alia tria annumeramus, videlicet, Limbum Patrum, Purgatorium, & Infernum. Quomodo autem Limbus Puerorum sive ante Christum, sive post Christum ab Inferno damnatorum distinguitur, paratus sum exponere. Limbus Inferni; & Sinus Abrahamæ olim fuerunt idem locus sola ratione distinctus, nunc vero post Christi adventum sunt duo loca realiter distincta.

DE

DE DESCESU CHRISTI AD INFEROS , ET TEMPORE , QUO COR-
pus ejus mansit in Sepulcro.

LXXX.

DE manu fortis liberabo eos , de morte redimam eos : ero mors tua , ò mors , morsus tuus ero Inferne. Hæc habentur in cap. 13. v. 17. Osee. Quibus apertè indicatur ; Christum vere secundum animam descendisse ad Inferos , non ut damnatorum poenas ibi sustineret , ut impiè blasphemat Calvinus , sed ut justos , qui ibi detinebantur captivi , liberaret. Non descendit tamen Christus in Infernum damnatorum secundum realem præsentiam , sed solum secundum effectum , non quo eos à damnatione liberaret , sed quo eos de sua incredulitate confutaret. Pueri , qui cum originali peccato descefferunt non fuerunt à Christo liberati , benè vero sancti Patres , primo quidem claram divinitatis visionem eis tribuendo , postea vero ex Inferni loco educendo. Anima Christi à morte usque ad resurrectionem moram traxit apud Inferos ; sed quanto tempore fuit ? non modica est difficultas. Nos cum nostro Ang. Duce per unum diem , & duas noctes apud Inferos fuisse sustinemus , id ipsum sentientes de mora corporis in Sepulcro.

DE SEPULTURIS , EXEQUIIS , ET SUFFRAGIIS MORTUORUM.

LXXXI.

Quando orabas cum Lacrimis , & sepeliebas mortuos , & derelinquebas prandium tuum , & mortuos abscondebas per diem in domo tua , & nocte sepeliebas eos , ego obtuli orationem tuam Domino. Hæc Angelus , Tobia 12. v. 12. referens opera bona , quibus Tobias Deo placuerat. Ex his clarissime infertur contra Hereticos Bohemos , mortuorum Corporum Sepulturam esse opus bonum , & pium , sed pompa funeris , sumptuosus Sepulcrorum ornatus per se non conducit ad animæ utilitatem ; prodesse tamen possunt per accidens. Quid ergo de tot , tantisque anniversariis , & exequiarum repetitionibus ? Dicam , si opus fuerit. Recentiores Heterodoxi negantes existentiam Purgatorii explodunt similiter sanctam illam cogitationem exorandi pro defunctis ; con-
tra

tra quos catholicę confitemur : suffragia prodesse animabus existentibus in Purgatorio. Nec animę Puerorum , qui sunt in Limbo , nec damnatorum , qui sunt in Inferno , nec Beatorum , qui sunt in gloria orationibus , & suffragiis vivorum juvari possunt ; ideoque Ecclesia pro eis non orat. Sancti in Cœlo orant pro animabus in Purgatorio detentis. Suffragia , quę valent ex opere operato , & si fiant per peccatores , defunctis valent , quę vero solum ex opere operantis , solum in aliquo casu profunt.

ALIQVA DE FINE MUNDI.

DE ORTU , PATRIA , EDUCATIONE , INGENIO , ET MORIBUS
Anti-Christi.

LXXXII.

Quis vero is est ? An Satanas ? Nequaquam. Sed homo quispiam omnem Satanae energiam adeptus ; Est enim homo , qui extolletur supra omnem , qui dicitur Deus , aut nomen. Ita alloquitur Chrysostomus hom. 3. in 2. ad Thesal , de homine illo peccati , filio perditionis , cujus adventus erit in omni seductione iniquitatis. Ex quibus aperte constat ; Anti-Christum futurum esse quemdam singularem hominem ; cujus ortus non erit ex Virgine opera Diaboli , quomodo Christus opera Spiritus Sancti , nec Anti-Christus erit Diabolus incarnatus , (errores enim sunt) sed esto non certe , probabiliter tamen dici potest : ipsum non ex legitimo matrimonio , sed ex muliere fornicaria , aut adultera , & quidem impudentissima nasciturum , Dicere vero ipsum proditurum esse ex monacho , & sanctimoniali cum principiis hujus historiae non concordat. Patriam Anti-Christi futuram Babilonem Chaldaicam sustinemus. Ejus corpusculum vix conceptum , & adhuc in materno utero positum Diabolus sic disponet , ut ad omnia flagitia illud propensissimum reddat ; ut etiam ex corporis organizatione verè dici possit homo peccati. Educatio ejus erit in Babilone , vel in locis vicinis. Erit ingenio perspicacissimus , studiis litterarum operam dabit , & præcipuè curiosarum , & reprobatarum artium , & cujuscumque generis Magiæ , adeo ut , Demone Magistro , evadet absolutissimus Magus , necromanticus , divinator , Sortilegus , in-

can-

cantator, miris præstigiis omnibus illudens. Quamvis in principio summa hipocrisis, fictis ac eumentis probris moribus, vitia, pessimamque indolem teget; postea erit omnium mortalium callidissimus, & vaferrimus; superbissimus, sicut Lucifer; gloriæ usque ad divinitatem cupidissimus, ad proprium honorem cuncta referens. Tandem sædissimis libidinibus totus deditus; unde Danielis **II.** dicitur: *Et erit in concupiscentiis feminarum.*

DE DOCTRINA, MIRACULIS, REGNO, SEDE, ET PERSECUTIONE Anti-Christi.

LXXXIII.

Qui negat, quoniam *Jesus est Christus*: hic est *Anti-Christus*, qui negat *Patrem, & Filium*. Hæc de Anti-Christo dicuntur **I. Joan. 2. v. 22.** Ex his, & ex præ-narratis turpissimis ejus moribus colligere poterit quispiam, qualis futura sit ejus doctrina. Primo ergo in rerum suarum exordio se vindicem Legis Mosaicæ ostendet. Secundo: tota ejus doctrina erit contra Christum Jesum; ostendens eum non fuisse verum Mesiam, nec Filium Dei, nec humani generis Redemptorem sed impostorem. Tertio: portandum docebit, & portari præcipiet à cunctis suis affeclis characterem in manu, vel in fronte. Quis autem futurus sit iste character, non nisi divinando determinari potest. Quidam dicunt fore nomen ipsum Anti-Christi litteris devertatis inscriptum. Alii Draconis effigiem, in qua se adorari jubebit. Sed obscura, & plenè voluntaria sunt hæc. Inter miracula non quidem vera, sed apparientia, præcipuum erit, quo finget se mortuum, & postea sua potentia à mortuis evocatum. Certum est, quod Anti-Christus hæreditario jure regnum non obtinebit; sed solis fraudibus, & nequissimorum hominum præcertim ex Judeis acclamantibus; Diabolo etiam suas partes agente, Rex renuntiabitur. Sedes Anti-Christi erit non Roma, sed Babylon Chaldaica, & tandem Hierosolyma. Ejus persecutio erit maxima omnium quam unquam orbis, & præcertim Ecclesia passa fuerit, ut prædixit Christus Mathei **24.**

R

DE

DE ADVENTU HENOCH, ET ELIÆ, ANTI-CHRISTI,
Exitu, ejusque à fine Mundi Distantia.

LXXXIV.

ECCE ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies domini magnus, & horribilis. Dicitur Malachię cap. 4. v. 5. & Ecclesiast. 44. v. 16. Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam. His, & aliis tam apertis testimoniis moti Catholici, adeo constantes sunt in sententia, Henoch, & Eliam, adhuc vivere, & à Deo servari, ut sint secundi adventus Christi Præcursores, & Anti-Christo se opponant, ut oppositum sentire ad minus parum tutum sit in fide. Soli isti (ut communiori sententię adhaream) contra Anti-Christum venturi sunt; & hi sunt duo testes, quos Joanes in Apocal. venerabundus vidit. Venient igitur asperitatem, paupertatem, & humilitatem Sanctorum virorum contra faustum, & superviam Anti-Christi, & ejus Sectatorum indicantes; dabitque illis Deus gratiam prædicationis, eamque confirmabit donis Prophetiæ, & omnis generis miraculorum, quibus non solum fideles in fide confirmabunt, sed Infideles, & Judæos ad veram fidem perducent. Completo autem tempore pro eorum missione definito, permittet Deus illos sevitię Anti-Christi; qui occidet eos; & eorum corpora jacebunt per tres dies in platea Civitatis Jerusalem, quibus elapsis ad vitam revocati assumantur in Cœlum, & tandem terremoto magno concussa decima pars Civitatis cadet, & septem millia hominum interibunt. Anti-Christi exitus infelix pro meritis futurus est. Verosimile videtur, quod, Henoch, & Elia ab ipso interfectis, visisque signis, quæ post eorum mortem, ut diximus, contingent, Anti-Christi potentia in deterius statim ruitura sit, & quod Principes, ac Populi, qui tiranidem ejus tolerabant, postea timore excusso, comparatis exercitibus adversus eum conspirarint, quibus ipse iam fractus, severam, sed justissimam Dei ultionem sit experturus. Iam igitur mortuo, & in Infernum demerso Anti-Christo post dies quadraginta quinque veniet dies Domini magnus, in quo unumquemque judicabit juxta opera sua,

DE

DE OBSCURATIONE SOLIS , ET LUNÆ , MUNDI CONFLAGRATIONE,
& effectibus igneæ Conflagrationis,

LXXXV.

Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur , & Luna non dabit Lumen suum , & stelæ cadent de Cælo ; & virtutes Cælorum commovebuntur. Hæc quatuor signa præcipuè in Cælo imminentem suum adventum ad iudicium præcessura prædixit Salvator noster Mathei 24. v. 29: Obscurabitur igitur Sol , & Luna per privationem , seu suspensionem sui luminis ; sicut de Sole , moriente Domino , factum est. Verba autem illa *stelæ cadent de Cælo* non in sensu literali , sed figurato accipienda sunt ; nomine vero *virtutum Cælorum* Angelos inteligimus. Universalem mundi conflagrationem in fine seculorum futuram docent scripturæ , quam faciendam per ignem astruimus. Nec Cælum sydereum , nec alii Cæli inferiores ignea conflagratione purgabuntur. Elementa manebunt , quantum ad substantiam , & qualitates eorum proprias ; sed purgabuntur ab infectione , quam ex peccatis hominum contraxere. Homines tunc viventes sive bonos , sive malos igne conflagrationis fore interimendos , & consumendos cum S. Thoma defendimus. Malos cum cruciato consumet bonos autem , si nihil in eis purgandum repererit , consumet quidem quoad corpus , sed sine ullo dolore. Quomodo? Roga,

DE JUDICIO UNIVERSALI , ET PARTICULARI , QUALITATE MUNDI
post Iudicium , & statu Damnatorum , & Beatorum
post ipsum,

LXXXVI.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal D. Jesu Christi, ut referat unusquisque propria corporis , prout gessit , sive bonum , sive malum. Hæc Paulus 2. ad Cor 5. v. 10. Est igitur hæc veritas Oraculis scripturarum adeo stabilita ut nullus, Aug. teste , eam negare audeat. Quamvis omnino incertum sit tempus Iudicii, Locus tamen erit Vallis Josaphat, Post signa

in

iu Sole , & Luna , consummato per conflagrationem Orbe, præeunte signo Crucis , subsequetur , & veniet Dominus in forma humanitatis gloriosa , magnaue Angelorum frequentia stipatus , ab omnibus videndus , sive electis , sive reprobis: Præter hoc universale Judicium datur aliud particulare , quo anima in egressu à corpore judicatur , fietque in instanti mortis , in quo verificatur : nunc non est homo , & immediate antea erat. Locum communiter creditur esse ipsum Corpus In mundi innovatione cœlestium corporum motus cessabit , eorum claritas augebitur , Elementa claritate quadam vestientur , & plantæ , animalia , & cœtera mixta non manebunt. Locus proprius Beatorum post Judicium erit Cœlum Empireum , quod erit , & est immobile , & in perpetua quiete , videbuntque pœnas Damnatorum ; sed illis non compatiuntur. Damnati erunt in Inferno , ubi vero , reali , & corporeo igne torquentur. Eorum obstinata in malo voluntas erit mala ; & quidem deliberativa , non naturalis. Ex divina justitia est , quod peccator decedens in Lethali puniatur æterna pœna , quæ numquàm finem est habitura , nec requies , intermissio , aut mitigatio in pœnis Damnatorum erit.

Vt. Doct. Dñus. Ludovicus Santa-Cruz,
 Canonic. Magistralis , & Rect.

Vt. Fr. Vincentius Ferrer,
 Mag. & Stud. Reg.

Imprimase:
 Licenciado Alvaro.



